



1902
U·S·N·M·
Ex libris
William Healey Dall.


Tab. I
7.
1.
2.
5.
4.
3.
6.
9.
8.
G. Biurman sc.

KILIANI STOBAEI,
MED. D. ARCHIATRI REGII, IN ACADEMIA LVN-DENSI HIST. PROF. P. ORD. ATQVE REG. SOCIET. SCIENT. ET LITER. VPSAL. MEMBRI,

# OPVSCVLA

IN QVIBVS
PETREFACTORVM, NVMISMATVM
ET
ANTIQVITATVM HISTORIA
ILLVSTRATVR,
IN VNVM VOLVMEN COLLECTA.
CVM MVLTIS FIGVRIS.





DANTISCI,
APVD GEORG. MARCVM KNOCHIVM
MDCCLII.

PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO

ATQVE

CELEBERRIMO VIRO

DOMINO

# IACOBO THEODORO KLEIN,

SECRETARIO REIPVBL. GEDANENS.

SENIORI ET MERITISSIMO;

SOCIETATIS REGIAE SCIENTIAR. LONDINENS.

ET

ACADEMIAE SCIENTIAR. BONONIENS.

SODALI DIGNISSIMO

*SACRVM.*

# VIR CELEBERRIME,
# FAVTOR HONORATISSIME.



*Quòd TVO Nomini has lucubrationes ſacrare audeam, id eò minùs in malam partem interpretaberis, quò magis TIBI ſcio placere illos, qui eandem ſemitam calcare tentant, quam TV tanto cum omnium applauſu hactenus es emenſus. Satiatum TE nunc crederent naturalium rerum detectis arcanis, qui TE nouerunt à prima iuuentute indefeſſum veritatis phyſicae indagatorem, non in Muſaeo, ſed in ipſo Naturae theatro fuiſſe; qui TE in perſcrutandis intimè corporum naturis, in deſcribendo, dilucidando, ordinando obſcuriſſima quaeque illorum phoenomena conſenuiſſe vident; qui TE demùm in ſublimi conſummatiſſimae famae gradu conſpiciunt, in quo TE TVAE vigi-*

*liae,*

*liae, labores, & ſumptus poſuerunt inconcuſſum. Sed TV, verus Naturae myſta, necdum fatigatus, ſcrutari & conſignare naturalium rerum proprietates pergis in ipſa ſera atque honorabili ſenectute, in qua plerique eruditorum contractis velis indulgere quieti ſolent. Permitte igitur, vt inter multas occupationes TVAS tutamini atque iudicio TVO ſe ſiſtant beati* Stobaei *tentamina phyſica vnà cum diſquiſitionibus hiſtoricis parente ſuo orba, quae diſperſa ideo iterum collegi, vt diligentiſſimi viri ſtudia pluribus vſui ſint. Quodſi TIBI non diſplicuerint, placebunt omnibus; nouumque id erit teſtimonium Fauoris TVI, cuius plurima documenta expertus ſum, ex quo TIBI, Vir Celeberrime, ſcilicet à triginta abhinc annis innotui. Rogo ſupremum Naturae dominum, vt TIBI diutiſſimè conſeruet rarum illum ſenectutis vigorem, quo Viro-Iuueni aequalis, omnium admirationem demereris:*

CELEBERRIMI NOMINIS TVI

*cultor deditiſſimus*

GEORGE MARCVS KNOCH.



# PRAEMONITIO
## AD LECTOREM.



S electiſſima argumenta, quibus in Hiſtoria naturae ſimul & Antiquitatis verſatiſſimus Autor ſtudium ſuum dicauit, non poſſunt non vario eruditorum generi placere. Quicunque curioſus naturae eſt, is non ſolum hic de petrefactis, partim hactenus ignotis, notitiam repperit ſufficientem, ſed & rigoroſam eorundem diiudicationem ſiue faſtidio legit. Augeſcit deinde cognitio phyſica noſtra, quô maior & amplior fit corporum reconditorum notitia. Superſtitionem autem in rebus phyſicis magis magisque interire qui amat, is poterit in his chartis multa ſuo palato grata momenta euoluere. Denique diluuium vniuerſale, cuius veritatem ex petrefactis deduci multis arridet, operoſo molimine in his lucubrationibus roborari, huius ſententiae fautores collaudabunt. Quod attinet ad Antiquitates hic recen-



tissimè detectas, quis nescit, fulcra Historiae ciuilis ferè solidissima in monumentis antiquis, lapideis & numismaticis consistere? Circa ista autem tàm singularem operam praestitit Autor, vt omnimodam laudem posthumam mereatur. Quàm iucundum verò de reliquo est, legere primitiua vestigia populi, (Gothorum scilicet) qui Europae prouinciis quàmplurimis colonias dedit, & dominos, & leges, cuiusque monumenta magnifica sparsim in Europa restant!

Isthaec omnia, Lector optime, me mouerunt, vt, cùm in Suecia morarer, inaudita fama Autoris, lucubrationes eius omnes & figurarum adpertinentium aeneos archetypos satis multos multo labore ac sumptu conquirerem, sperans, fore ut non leuem gratiam apud eruditos transmarinos inirem, Commentaria tàm selecta de argumentis rarò obuiis illis in manus dando. Vale.

AVTORIS

# AVTORIS VITA,

*Secundùm Programma exſequiale D. D. Döbelii, in Eiusd. Hiſtoriae Academ. Lundenſ. Continuat. II. p. 265. ſqq.*



Natus eſt Autor d. 6. Febr. A. 1690. patre NICOLAO STOBAEO, Territorii Gothungici Praetore, matre BRIGITTA SOPHIA TREVTTIGER, Gothoburgenſis pharmacopoei filia, in territorii praedicti pago WINSLOVIENSI, obſcuro & ignobili, niſi clariſſimi viri WINSLOVII, & in his celebratiſſimus Pariſienſium Anatomicus, illum ſuo nomine nobilitasſent. Huc autem parentes Eius migrare coacti ſunt ſub finem A. 1689, relicto proprio praedio Skyrup, vbi antea habitauerant, propter ludibria & vexationes ſpectrorum, quibus tota domus reddebatur inhabitabilis. Anno aetatis quarto orbatus eſt patre: miſſus deinde ſeptennis à matre ad ſororis ſuae maritum, IOH. DIMBERG, rebus metallicis per Scaniam & Smolandiam praefectum, vbi Magno Norgreen inſtruendus religione & literis traditus eſt. Vix annum hic tranſegerat, cum diro ac diutino morbo, primum caecitatem minante, ſed tandem ex coxendicis luxatione claudicationem inferente ſcholae valedicere coactus fuit. Cui malo per ſe ſatis miſerando vlcus fiſtuloſum acceſſit, femur dextrum miſerè depaſcens. Ergo Caroli coroniam ductus, opera trium chirur-

gorum peritiſſimorum ſanitati reſtitutus eſt, & iuſſu matris Lundam venit ad patruum, ANDREAM STOBAEVM, H. & Poës. Prof; qui ſuſceptum domi ſuae vna cum filiis liberaliter educauit. Hic cum ſpem docentium longe anteuerteret, moroſus morbus poſt biennium tanta cum vehementia rediit, vt ſtudium literarum ſibi prorſus relinquendum eſſe exiſtimaret. Contulit igitur ſe Chriſtianſtadium ad ſupra laudatum IOH. DIMBERG, tum publicorum Tabellariorum praefecturam gerens. Huius amanuenſem per aliquod tempus egit, artem rationariam & ſcriptoriam ſibi addiſcendam exiſtimans, vt hoc pacto victum & ſtationem ſibi aliquando pararet. Interuenit autem, DEO ita iubente, alter Auunculus, KILIANVS TREVTIGER, Senator Gothoburgenſis, qui ſororis viſendae gratia huc delatus, ingenio & moribus nepotis mirifice delectabatur, germanamque rogabat, vt eum ſibi donaret, filii loco habendum, ſic Gothoburgum acceſſit cum auunculo, qui Iuriſconſultum ex eo facere cogitauit; ſed intelligens, STOBAEVM maiori ſtudio in medicam ſcientiam ferri, conſilio mutato, eum in album Ciuium Gymnaſii referri curauit, vt publica Lectorum inſtitutione vteretur. Commiſit eum quoque priuatae curae, Ioh. Ramzii, Ionae Florandri, & Pauli Vaſſandri, Centurionis ex eorum ordine, qui curam munitionum gerunt. Ab his Linguas didicit eruditis familiares, inque literis humanioribus & Matheſi egregia poſuit fundamenta. Quibus inſtructus ad Medicinam propius acceſſit, & viam monſtrante D. D. Olao Bromelio,

herbariae



herbariae aliisque huc pertinentibus ſcientiis aſſiduam & felicem operam dedit: Pharmaceutica etiam arte & Chirurgia ſub idoneis ducibus imbutus. Peracto ſic quinquennio & ultrà, Lundam reuerſus, in ciuitatem Academicam A. 1709. recipiebatur: ſed paulò poſt occaſione oblata, cognitionem acquiſitam cum experientia coniungendi, ad claſſem Caroli Coronienſem properabat, ibique D. Tranaeo, Reg. Claſſis Medico, adeó probabatur, vt huius commendatione cura claſſiariorum in publico valetudinario decumbentium illi demandaretur, menſtruumque pro labore ſalarium à Regio Ammiralitatis collegio adiiceretur. Laborioſum hoc munus geſſit ſumma fide, tempore luctuoſiſſimo, cùm patriam, inprimis Caroli coroniam immanis peſtilentia deſolaret. A. 1713. regreſſus Lundam, gloria eruditionis breui inclaruit: & poſteàquàm fauore Illuſtr. Comitis, Nicodemi Teſſin, Regium ſtipendium, quod duplex dicitur, ipſi A. 1717. prorogaretur, eodem anno defendit Diſſertat. *de Fame naturali*, ſub praeſidio D. D. à Döbeln, in maximo magnatum & aulicorum frequentia. A. 1720. diſputauit pro gradu *de Fame laeſa:* annoque inſequenti Medicinae Doctor publice renunciatus eſt, promotore D. D. à Döbeln. Cùmque nunc laudatus vir morbo decumbens vicarium ſibi expeteret, cui cathedram & publicum docendi munus tutò concrederet, ferè biennium integrum geſſit hoc munus Noſter, ſumma cum iuuentutis vtilitate, omniumque applauſu, donec Ordinarius valetudinem iterum recuperaret. Magiſtratus Gothobur-

 genſis

gensis constituerat eum A. 1724. Medicum ciuitatis suae ordinarium, iamque in prouinciam profectus erat, cum ordo equestris Scaniae eum inde iterum retraheret, sponsione facta 597. Thal. arg. quotannis soluendorum, alia non adiecta conditione, quàm vt in hac regione habitaret, suisque consiliis iuuaret aegrotos. Simili modo cùm Senatus Malmogiensis reditum annuum 100. Thal. arg. ei promitteret, non potuit non conditiones oblatas accipere, commeatuque & missione impetratis, A. 1725. ineunte in Scaniam reuerti. Anno eodem in aula Witsköfle nuptias celebrabat cum Virgine lectissima FLORENTINA SCHVBERT, indeque Lundam intrans, ex pacto domicilium ibi figit. Triennium ferè in hac statione exegerat, cum Regio mandato noua Philos. natural. & Physices experimentalis Professio institueretur cui muneri Stobaeus admotus, cum titulo & honore Professoris Extraordinarii, reditibusque ex publico assignatis, spartam hanc A. 1729. M. Febr. auspicatus est oratione *de praestantia & vsu Studii Physici Experimentalis in reliquis scientiis.* Eodem anno à Regia Societate literaria Vpsaliensi Collega & Socius cooptabatur.

Vacante Historiarum Professione Ordinaria, Rex clementissimus eam Stobaeo Nostro dabat, meritorum eius non inscius, cuius officii initium fecit oratione inaugurali: *de Medicorum Meritis in Historiam & Politicam.* Inopinanti, nec maiora affectanti superaddidit S. R. M. titulum & honorem Archiatri, in signum Regiae gratiae & clementiae.

Facultatis



Facultatis Philofophicae bis fuit Decanus: femel verò Confulatum Academicum geffit, fcilicet A. 1735, quo anno mufaeum fuum Naturae curiofum, multo labore pluribusque impenfis comparatum, Academiae in perpetuam poffeffionem donauit. Valetudine minus profpera plerumque vfus, clamoribusque aegrotantium, opem confiliumque pofcentium tantùm non obrutus, nihilominus tamen iuuentutis, patriae & Academiae vtilitati fedulam operam dedit, cuius rei quamplurima (quae fequuntur), eaque infignia documenta proftant. Mirabile vtique, in Corpore, doloribus aliisque moleftiis ferè quotidè vexato, animam tamen fanam pulcherrimis facultatibus excelluiffe, maximamque mentis actiuitatem. Erat enim in omnibus eruditionis partibus verfatiffimus, Orator & Poëta, Hiftoricus & Phyficus; pluresque linguas callebat. In dictis & fcriptis manifeftabat in corpore exulantem alacritatem, ita, vt raris animi dotibus inftructus femper benè valere dici potuiffet, quamuis ferè femper malè valeret. Correptus erat à primis annis affectu Spaftico-Arthritico, ex quo pofteà aetate aucta, per difpofitionem haereditariam, Hemicrania rebelli cruciabatur: donec vltimi motus Spaftico-conuulfiui, afthma, fingultus & vomitus, tragoediam agerent, qua vitam, vel potius morbum, omnesque cruciatus cum placidae mortis quiete commutauit Nofter A. 1742. d. 17. Febr. fub introitu quinquagefimi tertii anni aetatis fuae.

CONSPE-



# CONSPECTVS TRACTATVVM.



I.

# I.

DE

# NVMVLO BRATTENSBVRGENSI, SINGVLARI ILLO IN SCANIA FOSSILI;

NEC NON

## DE FRONDOSIS CORNV AMMONIS CVIVSDAM MAIORIS FRAGMENTIS;

*DISSERTATIO EPISTOLARIS*

AD

D. D. TH. WILH. GROTHAVS,
ORPHANOTROPHII REGII HAFNIENSIS MEDICVM,

SCRIPTA A. 1731.

POSTMODVM ACCESSIONIBVS NONNVLLIS CVM EX HISTORIA NATVRALI, TVM EX ANTIQVITATIBVS PATRIIS, FARRAGINE NON OMNIBVS FORTE INGRATA, DENVO PER AVTOREM ILLVSTRATA.



*Celeberrime & Experientissime Domine Doctor,*
*Fautor & Amice exoptatissime!*

Desideratissimas diu, tandemque acceptissimas, quas ad me dedisti die xv. Septemb. S. N. literas (a), Iuuenis nobilissimus Dn. MATTHIAS BENZELIVS vna cum muneribus tuis carissimis, Hafnia vestra redux ad lares meos

A pertulit,

(a) *Ipsius* D. D. Grothausii *Literas huic epistolae ad finem subiungendas vide sis.*



pertulit, ſimulque inſignem illam humanitatem, qua ipſum hunc non inertem artis filium excipere dignatus es, multis verbis collaudans me multiplici voluptate totum perfudit; Res enim ipſa multis paraſangis meam de Te, Honoratiſſime Fautor, conceptam opinionem, honorificam quidem illam, & magno viro non prorſus indignam, ſuperans, quantum Tui amorem & deſiderium auxerit, dicere non poſſum; Certe, ſi modo liceat tantum laudis mihi ipſi tribuere, quod Tui non diſſimilis eſſe ſummopere vellem, non poteſt ſtudiorum morumque optata paritas non affectum reddere firmiſſimum & flagrantiſſimum, inprimis cum vltro ſemper accedat neceſſitas, officium, vſus, voluptas. Non recte itaque anceps ſcire aues, quid de Te, Fautor aeſtumatiſſime, cogitauerim, quod ad fontem ſoterium Ramloeſienſem benigne promiſſum commercium literarium nimis longe diſtuleris; quid enim, quaeſo, aliud, quam magnifica quaeuis & honeſta? Etenim credebam literas tuas nuncii alicuius negligentis culpa, vel perditas eſſe, vel in angulo quodam apud iniquum aliquem hoſpitem, hic forte in Scania depoſitas latere; vel Tibi curis medicis in florentiſſima & Regia vrbe occupatiſſimo atque diſtractiſſimo non tantum temporis vacare, vt potuiſſes horulam curioſitati amici noui, & nondum ſatis ſpectati, dicare; denique ſatis communi mortalium ſorte, a qua ne quidem Medici ipſi immunes viuunt, aduerſa ſcilicet valetudine Te vexari, valetudinarius ipſe & querulus ingemiſcebam. Longe igitur profecto a me abfuit, quod tamen ſubuereri Te dicis, vt Germanicam fidem ob conſtantiam & maſculam virtutem toto orbe celebratiſſimam, & quae

ideo

ideo iam dudum in prouerbium abiit, in dubium vocarem, quin potius illam ſemper magni fecerim, in Te vero, Integerrime Amice, quam maximi. Illam namque datam non vulgariter modo, ſed prorſus ſplendide & Regie liberaſti; non enim tantum iucundiſſimis literis me recreatum, verum egregiae munificentiae tuae fructibus pretioſiſſimis non dicam oneratum, ſed penitus cumulatum atque obrutum eſſe voluiſti. Etenim non par pari retuliſti, ſed Scanicas viles, rebus Indicis ipſo auro rarioribus abunde compenſaſti; adeo vt optime in Te quadret, quod in antiqua noſtra hiſtoria de Gothrico Rege dicitur: Quod admodum liberalis erat ille, qui aurum pro cote rependit. Ignoscas autem auiditati meae ad rem augendam, quod exemplo Refri illius munificentiam Gothrici aliorumque Regum experti, noua Tibi parem munera, paruaque dona offeram, vt maiora accipiam (b). Neque enim hic loci liberalitate Tecum certare licet, cum praeter illas naturae opulentiſſimae delicias Gorgoneas (c), quae noſtrum pro patria agnoſcit



(b) *Vid.* Kong Gothriks och Rolffs Saga *Cap. IX. & ſeq.*

(c) *Patria noſtra dulciſſima, quamuis diuturniori gelu ſubiecta non quidem caret illis illecebris e triplici naturae regno, quae curioſum animum magna voluptate afficere queant, inprimis vero tanta lapidum figuratorum & petrefactorum elegantia, varietate & copia abundat, vt vix alicui terrae in hoc cedat; quod non tantum exteri ſcriptis ſuis teſtantur, verum imprimis luculenter probauit Suecana Lithographia,* (Dni. de Bromell) *cuius ſupplementum propter immaturum auctoris Perilluſtris & Doctiſſimi obitum, fruſtra iam deſiderat orbis curioſus; qualecunque huius rei teſtimonium exhibet*

ſcit ſolum ſalumque, nihil occurrit, quod curioſum animum paſcere valeat. Aequi itaque bonique conſulas, Humaniſſime Grothuſi, leuidenſia, quae officioſe nunc rurſus transmitto, & firmiſſime tibi, amabo, perſuadeas, tantum indicia voluntatis eſſe Tibi deuinctiſſimae, & non tam illiberalis, quam inualidae. Dulciſſi-

*exhibet quoque Hecatombe illa Gorgonea*, (nunquam edita) *qua Optimo huic Patrono olim litaui, & quam, cum vt publicum pietatis meae aliquod monumentum extet, tum vt Fautores & Amici honoratiſſimi, collectionibus Hiſtoriae Naturali inſeruientibus operam ſtrenue nauantes, inde pernoſcant, quaenam noſtri Territorii foſſilia in gratiam ipſorum colligi poſſint, typis exſcribi propediem curabo. Ita equidem pollicitus fui tum, cum primum hanc qualemcumque epiſtolam emiſi; nec fidem fallere cogitabam, ſed concatenatae muneris occupationes, praecipue vero aduerſa valetudo continuis cruciatibus me fere quotidie diuexans a propoſito me deſiſtere hactenus coëgit. Quoniam vero eruditiſſimis Collectoribus Commercii Literarii Phyſico-Technico-Medici Norimbergenſis placuit huiusce mei promiſſi vani mentionem facere p. 245, non poſſum non heic me coram illis excuſare, quod aliis negotiis diſtractus promiſſa praeſtare minus potuerim, ſimulque ſignificare, me per Hecatombem Gorgoneam non tam intellexiſſe centum Coralliorum foſſilium ſpecies, quam potius hoc nomine indigitaſſe oblatum Patrono munuſculum e centum Petrefactis lapidibusque figuratis heic in Scania inuentis conſtans; quae quidem foſſilia vberius deſcribere, cum aliis aliarum regionum foſſilibus conferre, loca natalia indicare & quouis alio modo illuſtrare volui, ſi modo licuiſſet; nec vero inepte Hecatomben Gorgoneam dixiſſe, cum Gorgonis caput quaecunque attigerit in lapides conuertit. Hinc ipſa Petrificationis cauſa proxima non abſque re Spiritus Gorgoneus quibusdam Phyſicis audire ſolet.*

Dulcissimam illam Te heic amplectendi spem, quam primo ipse praesens, & dein per literas quoque amicissimas dedisti quotidie ob coeli temporisque importunitatem imminui, & fere penitus euanescere, vehementer doleo; vt itaque aliqua ratione Te liceat absenti frui, quod per iucundissimum commercium literarium fieri potest, est quod a Te, Amice honoratissime, enixis precibus iterum iterumque contendo. Ne itaque longiori huic epistolae succenseas, vtpote cui Tu ipse materiem suppeditasti gratissimam; cum enim ex literis tuis cognouerim, Tibi de binis illis fossilibus rarioribus, numulo nimirum Brattensburgensi meam opinionem & nomenclaturam non omnino probari, non ingratum Tibi fore, protinus sperabam, si pluribus iam verbis mentem meam exposuero. Operae autem pretium eo magis me facturum confido, quod maxime memorabiles hi, nec inuenusti subterranei ciues, imprimis Numulus noster, nondum satis orbi erudito innotuerint. Praeter enim breuissimam illam, quam de Numulo Brattensburgensi relationem Actis Literariis Vpsaliensibus quondam inseruit Societatis Regiae scientiarum ibidem fundatae membrum perillustre, iam coetui coelesti adscriptus Beatissimus Dn. de BROMELL, Archiater Regius celeberrimus, & Collegii Medici Regii Holmiensis Praeses grauissimus, hoc anno pie defunctus, cum ingenti totius orbis eruditi, imprimis vero Historiae naturalis patriae damno, nihil omnino de illo scriptum exstat (d). Hoc nostrum fossile, quod imprimis frequens in Territorii Villandiani insula Ivae occurrit, vbi ad villam Biskopsgården, quae quondam



(d) *Vid. Act. Lit. Svec. Vol. II. pag. 560.*

dam Archiepiſcopi Lundenſis Andreae ſedes fuiſſe dicitur, lacus illud in ripam proiicit; non ſecus ac caetera, quae Numuli vel Numismales lapides dicuntur (e), titulum debent fabuloſis vulgi traditionibus, quibus ſine dubio commentis ipſa ſingularis rei figura occaſionem adeo praebuit (f). Quemadmodum enim vix quisquam

(e) *Hoc titulo praeter hunc noſtrum, & Numismalem lapidem Tranſyluaniae, cuius hiſtoriam peculiari Schediasmate dedit Cl.* Bruckmannus, *& Numulos S. Bonifacii, quorum mentio paſſim apud Phyſicos fit, verbi gratia Cl.* Teichmeieri *element. Philoſoph. Natur. experimental. p. 193; memorabiles etiam ſunt Numi lapidei Lapponici, ad fluuium Torne, referente* Dno. Schellero Reiſebeſchreibung von Lapland *pag. 28. reperiundi; vid. quoque* Bruckm. *Magnal. Dei in loc. ſubter, Part. II. pag. 923, &* I. I. Scheuchzeri *Oryctogr. Helvet. pag. 326. Quos quidem nondum obtinere potui, ſuſpicor tamen, vel mineram quandam ferri lenticularem eſſe, qualem vulgo* Penninge-Malm *dictam ſuppeditat Lacus Aſnen in Smalandia, vel Tophum quendam placentiformem, illi non diſſimilem, qui in Riuo quodam prope Norcopiam in Oſtrogothia, nec non in amne quodam prope villam* Liungby *Smalandiae, frequens reperitur, & vulgo* Malrickor, *vel quod panes Martios diuerſarum figurarum repraeſentet* Neckebröd, *quaſi Naiadum vel potius Neptuni panis dicitur.*

(f) *Vulgaris autem traditio de hoc numulo talis eſt: Arcem Brattensborg ob nefanda latrocinia, ibi perpetrata, aquis olim ſubmerſam fuiſſe, & vna cum eadem ingentem pecuniae ſummam a piratis conquiſitam & illic congeſtam; hoſce vero numos, deinde aquarum fluctibus ad ripam copioſe proiectos, a famulis & ſatellitibus Archiepiſcopi* Andreae, *tunc ibi, relicta ob lepram ſede Lundenſi, quaſi in ſolitudine degentis, inuentos atque quotidianis commeſſationibus*

quam eruditorum, nisi credulus & nugiuendulus miraculorum suspectorum assertor, assensum praebebit narrationi Caroli Clusii de lapidis numismalis Transyluaniae origine, quod scilicet fuerint quondam aurei numi a Tartaris fugientibus profusi & dispersi, Sancti vero Ladislai, Regis Hungariae precibus in campo Aradiensi, ne suos milites in hostibus persequendis retardarent, in lapides mutati (g); licet nondum satis constet, num maiori ad lapides figuratos in specie sic dictos iure, quam ad petrefactos & in his vtrum potius ad vegetabilium, an vero ad animalium Classem pertineant (h). Vt nec vlla sufficiens adduci potest ratio, cur

*nibus & compotationibus impensos. Praesulem itaque pium hanc ministrorum suorum genio nimis indulgentium intemperantiam aegre ferentem, id sua imprecatione effecisse, vt omnes in lacus huius fundo aut litore residui numi in lapides confestim mutarentur, ne posthac tantis occasionem praeberent peccatis. Alia huius Archiepiscopi, quem nonnulli sanctorum numero adscribunt, miracula vide sis Messenii Scond. Illustrat. Tom. IX. Lib. II. cap. XXI.*

(g) *Vid. Cl.* Breynii *Epistola de Melonibus petrefactis Montis Carmel. p. 21.*

(h) *Elegans hoc fossile diuerso Schemate ludens, praecipue massae saxeae adhuc inhaerens occasionem diuersissimis longe denominationibus curiosis spectatoribus praebuit. Aliis enim, quod fere perpendiculariter alteri lapidi maiori immersus & margine tantum conspicuus grana secalis aut carui referat, lapis frumentarius; aliis, quod calculus hic lenticularis oblique e matrice sua protuberans vtcunque salicis foliolum intuentium oculis sistat, salicites; aliis Porpites numularis; aliis lens lapidea striata vtrinque conuexa; aliis denique Fungitae minimi pediculo destituti capitu-*

cur Entrochorum ſingularium ſeu Trochitarum ſpecies quaedam titulo Numuli S. Bonifacii ſuperbiat (i): ita etiam hoc noſtrum admodum gratis Numulus Brattensburgenſis

*capitulum ſtriatum dictus fuit, qui hic Numismalis lapis Tranſyluaniae appellatur. Non tamen ſola hunc Pannonia, verum etiam Italia, Heluetia, Gallia, Anglia, & forte adhuc aliae regiones exterae proferunt; neque in Patria noſtra deſideratur, licet enim hic in Scania rarior occurrat, eſt tamen in Gothlandia ſatis frequens. Non parum autem negotii hic lapillus in eruenda & deſignanda ſua origine eruditis negotii faceſſit, adeo vt Naturae conſultorum opiniones de hac re quam longiſſime inter ſe differant, aliis pro minerali, aliis pro vegetabili, aliis denique pro animali origine ſtrenue cauſam dicentibus. Inter poſtremos merito nec ſine laude commemorandus eſt Nobiliſſimus & Sagaciſſimus* Dnus Bourguet, *eandem fere de hoc lapide lenticulari fouens ſententiam, quam de Numulo noſtro Brattensburgenſi habuit Perilluſtris* Dnus Bromell. *nimirum opercula fuiſſe olim teſtarum turbinaturum quarundam, cornuum ſcilicet Ammonis; vid. Lettres Philoſophiques pag. 13. & ſeq. verum praeter difficultates hanc opinionem prementes, quas in epiſtola, praefationi citati libri inſerta, adduxit Celeberrimus* Scheuchzerus, *quoque notandum, quod nondum opercula teſtaceorum a centro verſus peripheriam ſtriata atque in hunc modum configurata curioſis innotuerint. Naturae itaque magis conuenire videtur, quod laudatiſſimus hic Lithographus noſtras cum plurimum Reuerendo* Büttnero *eundem plantarum ſubmarinarum claſſi & quidem Fungis Corallinis vindicet. vid. Act. Lit. Suec. Vol. II. pag. 446.*

(i) *Hic ſilentio praetereundus mihi minime videtur lapillus elegans, inter lentem lapideam & Entrochos ſolitarios ſeu Trochitas medius, & vtrique, adeoque etiam numulo &*

*S.La-*

burgensis vulgo appellatur, quod credat aliquando fuisse veros numos artibus magicis in lapides conuersos. Quanquam enim non iniucunde numulum bracteatum & cauum, vel facie Leonina aut alius cuiusdam animalis barbati, secundum laudatissimum Bromellium,



*S. Ladislai & Bonifacii certe cognatus; attulit hunc nuper cum aliis multis eiusmodi bellariis lapideis e Gothlandia redux, Medicinae Stud. eruditissimus* Dnus Ioh. Fielström & *eodem lautissimo adparatu me donauit. Huius vero lapilli, de quo nunc sermo, en descriptionem! Magnitudo fere eadem est, ac granorum leguminis illius, quod sub lentis nomine vulgo satis notum; hanc tamen mensuram nonnunquam, quanquam raro excedit, colore etiam & figura cum hoc semine conuenit, nisi quod in medio versus centrum aequaliter, at parum deprimatur, adeo vt non inepte cum orbiculato maluae vulgaris fructu quoque conferri queat. Matricem agnoscit Hammiten Gothlandicum, duplicis differentiae, quorum alter grana continet exacte rotunda mediocris magnitudinis, semina cannabis aequantia, alter globulis constat maioribus ad pisa vulgaria accedentibus; hisce siue ouulis siue nucleis diuersimode interspersae hae nostrae lentes iucundissime exhibent congeriem quandam diuersorum seminum, lapidis frumentarii titulo non indignam. Verum in hoc a coeteris seu Porpitis, seu Fungitis, seu lentibus lapideis exiguus hic noster lenticularis discrepare videtur; quod sub cortice hoc albicante lamellam tenuem rotularem subtilissime striatam cineritii coloris articulo subtilis alicuius Entrochi similiorem, quam as est assi, contineat: Vtrum vero ad Phytolithorum, an vero potius ad Zoolithorum familiam pertineat, aliis diiudicandum lubens relinquo; illum tamen cum ipsis adeo Entrochis admodum inuitus e censu plantarum submarinarum expuncturus. confer.* Harenberg *de Encrino.*

vel prout meae potius se sistit imaginationi, figura caluariae, inferius Palmae ramo aut si mauis laureo serto ruditer cincta insignitum refert, vid. *Tab. I.* fig. 1, & 2, atque summo etiam iure de eodem praedicari potest, quod de spica Hordei diluuiana Celeberrimi Scheuchzeri pronunciat Doctissimus Dn. Fontenelle: voila de nouvelles especes de Medailles dont les dates sont et sans comparaison plus anciennes et plus importantes et plus sures, que celles de toutes les medailles Grecques et Romaines (k). Attamen cum denominatio illa minus desideriis eruditorum satisfacere potest, quae non tam in re ipsa, nec in assertione adeo erudita, ac illa disertissimi Academici huius Gallorum, vere pia ac philosophica, quam fabulis vulgi ex contemplatione superficiaria confictis, fundata est; huic nostro fossili alius quaerendus est titulus. Praeterea adhuc lis est sub iudice, an vnquam arx illa Brattensborg, vnde numuli nostri cognomen deriuatur, quae Vidreci seu Vidgae (filii Velenti seu Villandi famosissimi illius Fabri, artibus magicis non parum inclyti, de quo & gnato multa commemorat Vilkina Saga odaeque heroicae Velleianae, cui quoque hoc totum territorium & nomen & insignia malleum scilicet & forcipem debere ferunt (l)) pugilis illius & herois fortissimi e Comitatu Regis

(k) *Dans l'histoire de l'Academie Royale de l'an 1710, citante ipso Clar.* Scheuchzero *Oryctograph. Heluet. p. 211.*

(l) *An vero territorium hoc vulgo* Willands Håråd *nunc dictum* Velento *isti nomen & insignia debeat, vti nonnulli tradere solent antiquarii, nondum equidem satis probatum est. Nam eiusdem situs maritimus & mons praealtus* Finefnige-

Regis Theodorici Veronenſis celebre domicilium in hac inſula ſeptentrionem verſus ſitum, ſed iam olim aquis ſubmerſum fuiſſe creditur, heic exſtiterit? ſaltem non deſunt ex antiquariis veſtris, qui illam ſuae Samſaeae ſeu Samo Danicae vindicare conantur; Oſtraciten itaque minimum paraſiticum caluariam hominis vt-

 cunque

Fineknige-Backe, *vbi pyra ſolet exſtrui & in ſignum inuaſionis hoſtilis & communis periculi ab accolis accendi, potius hanc regionem a voce* Vitar *vel* Vetar, Vitland *vel* Vetland *dictam fuiſſe probant. Quod ipſum quoque non tantum, quae fabuloſam fabri illius Velenti eiusque filii hiſtoriam tradit*, Vilkina Saga, *vbi expreſſis verbis territorium quoddam Daniae nominatur* Vetlanzherad, *confirmat; verum etiam Codex quidam antiquus membranaceus Bibliothecae Academicae, qui de Praebendis Canonicorum Lundenſium congregationis S. Laurentii agens, haec habet verba:* Vetlandi Gemshoeg *viij Solidi: hanc deriuationis rationem altera illa probatiorem reddit. Quo etiam facit, quod paroecia quaedam in Veſtrogothia ob eandem ſitus rationem dicta ſit* Landveter. *Hinc commemorata quoque inſignia commentis recentiorum adſcribenda videntur, cum vix ac ne vix quidem probari poſſit, eadem illa antiquioribus iam in vſu fuiſſe temporibus, nec forte vetuſtiora odis Velleianis documenta probantia adduci queant. Verum forte aliquis non prorſus abs re contendere poſſet, hanc regionem priſcam primamque fuiſſe Vitarum, quorum mentionem facit venerabilis Beda, ſedem patriamque. Sed ſufficiat nunc ſaltem indicaſſe, Vetlandiam (quae vulgo* Willands-Härad *dicitur, incolae autem* Willbattingar*) eſſe territorium Scaniae ſuperioris Blechingiae, Gothungiae & Geretiae conterminum, in quo ſitum eſt oppidum Chriſtianoſtadium & Abuſium, huius iurisdictioni ſubiectum, nec non arces ac praedia nobilium non pauca nec incelebria.*

cunque referentem, qui vulgo Numulus Brattensburgensis dicitur, ſalutaui, & ſub eodem nomine, & Tibi, Fautor aeſtumatiſſime, & aliis amicis curioſis aliquot huius generis ſpecimina miſi. Probandum itaque mihi eſt iam, characterem hunc rei ipſi non eſſe prorſus incongruum. Et ad Teſtaceorum quidem foſſilium familiam pertinere, varia argumenta perſuadent. Non tantum enim inter alia multa eiusdem originis ſpolia marina occurrit, & quam maxime cum ſubſtantia ſua, inſtar teſtarum fere omnium, ex plurimis lamellis ſeu cruſtis fibroſis coaluit, tum figura fere rotunda & orbiculari, cuius ſuperficies altera parum concaua & margine aequaliter eleuato & craſſo, poris innumeris pertuſo circumſepta eſt; altera vero fere plana, e circulis plurimis eccentricis vel potius rugis componitur, adeo exacte teſtam quandam imprimis vero oſtreaceam refert, vt niſi obſtaret peculiaris illa facies, ſupra iam deſcripta, quam tria foraminula teſtam oblique traiicientia, & in auerſa parte fere in vnum coëuntia, atque oculi orbitas naſique locum exprimentia effingunt, oſtreae minoris teſtam ſine omni haeſitatione dicerem; Verum etiam affectiones perſimiles earum, quibus teſtacea reliqua ſunt obnoxia, Docimaſiae Hermeticae ſubiectus numulus noſter prodit. Quamuis enim non licuerit, propter inopiam, Cl. Io. Sam. Carlii ſolertiam in lapide Lydio oſſium foſſilium perfecte imitari, non enim tantum adhuc numulorum numerum corradere potui, qui ſufficeret analyſi adcuratiori Pyrotechnicae: nulla tamen prorſus experimenta circa hanc rem inſtituere nefas duxi. Obſeruaui itaque quae ſequuntur

quuntur phaenomena, nisi valde fallor, testaceam indolem luculenter testantia.

I. Calcinationis gratia in crucibulo igni fortiori commissi hi numuli sine notabili flamma colorem cinereum, vel potius coeruleum aut glaucinum nanciscebantur.

II. Inter calcinandum nulli vapores crassi & albi, neque vel minimus foetor ex illis prodibat.

III. Vi ignis aucta & continuata albescunt & in calcem conuertuntur.

IV. In spiritu nitri promtissime cum insigni ebullitione solvebantur, relictis in fundo paucissimis humus vel arenae nigrae corpusculis.

V. In aceto destillato etiam solutio succedebat, sed tardius.

VI. Vtraque solutio instillato oleo tartari per deliquium, vel liquore nitri fixi ad fundum demittebat puluisculum candidum subtilissimum magisterii margaritarum aemulum.

VII. Non tamen omnes promiscue numuli aeque facile menstruo soluenti obediebant, verum nonnulli ex parte resistebant, qui scilicet maiorem petrefactionis gradum adepti fuerant, plerique autem toti, qui testaceam adhuc indolem retinuerant, diffluebant (m).



(m) *Praeterea quoque vitrificationem tentaui, & ex calce horum numulorum cum fritta crystalli, nec non additis portiunculis Nitri, Boracis & Arsenici albi, obtinui vitrum opacum, candidum, parum sed admodum grate caerulescens.*

Quod & ipſum ſua experientia comprobatum literis ad me datis, teſtatus eſt ſupra nominatus Sagaciſſimus naturae Ruſpator Noſtras; indeque animalis teſtacei nouum aliquod genus huic lacui proprium nondumque deſcriptum, ſuſpicatus, me amiciſſimis verbis, vt in hanc rem adcuratius inquirerem, adhortabatur (n). Quoniam autem, licet ſedulus in eo fuerim, nihil tale expiſcari potui, atque deinde non tantum ad oram lacus

(n) *En! ipſius verba ex literis Holmiae die 18 Sept. Anni MDCCXXVII. amiciſſime ad me exaratis: Gratias Tibi ago maximas pro duobus iſtis figuratis rariſſimis mihi nuperrime miſſis; quorum in cenſu paruae illae Gloſſopetrae mihi longe acceptiſſimae fuerunt, tales enim in patria noſtra inuentas antea non vidi; vbinam igitur erutae fuerint, & numne locus iſte plures huius generis ſuppeditet, ſcire admodum cupio: Caeterum mirum in modum conueniunt hae cum illis Haſſiae, & niſi de rei certitudine penitus perſuaſus fuerim eſſe Scanicas, illico Haſſiam earundem locum natalem pronunciaſſem. Ad lapillos numulares Brattensburgenſes quod attinet, ſunt hi figura & materia non minus digni commemoratione; firmo interim ſtat talo ſententia, eos nunquam numos aut monetam fuiſſe, quamquam ſua non caret difficultate, quid ſint, & quorſum pertineant, rite adcurateque definire. Proximo vere aliquot huius generis mihi miſit D. D.* Roslin, *ſimulque facultatem, eosdem accuratius examinandi ſubminiſtrauit; atque ita illos potius ad teſtacea quam lapides referendos eſſe, vnum alterumque experimentum me certiorem fecit. Cuius autem generis, indolis atque partis ſint teſtarum, dictu eſt difficile. Mihi ſalua tua, Vir Eruditiſſime, opinione Cochlearum quarundam opercula eſſe videntur, vti Blattae Byzantinae, vmbilici*

cus Ivoeani hoſce numulos inueni, ſed etiam vnum alterumque in ſpecu montis Baldri in eodem diſtrictu quidem ſita, (o) ſed ſesquimilliari circiter a lacu illo diſtante,

*vmbilici marini, & aliae. Operae itaque pretium foret, qualia in hoc lacu animalia teſtacea victitent, & annon turbinata quaedam illorum ſpecies, forte noua, eiusmodi operculo ſit instructa vel numne Patella talis nondum deſcripta adfuerit, inquirere. &c.*

(o) *Per ſpecum montis Baldri intelligo ſpeluncam ſeu cryptam ſubterraneam in territorii Vetlandiani paroecia* Rabelöf, *non procul a pago* Råby, *a Chriſtianſtadio ſemimilliari diſtante; ita vero illam appellare non dubitaui, quod eius introitus ſit ſub monte, qui vulgo* Balsberg, *quaſi Baldri mons, vel Baldus Scaniae, dicitur, & vbi fabri illius nobiliſſimi Velenti ſive Villandi domicilium olim fuiſſe ferunt. Alias autem vocatur* Fläſke grafwen, *id eſt Scrobs vel cuniculus Lardi, quoniam bello ſaeuiente lardum atque alia obſonia ibi abſcondere ſoliti fuerunt vicini agricolae. De hac ita in Actis Literariis Suethiae Vol. II. pag. 559. ſcribit nobiliſſimus quondam Archiater Regius b. m.* Magnus de Bromell: *De huius Speluncae ſtructura interiori ſequentem relationem* D. Ferber *transmiſit, loci eius oculatus teſtis: Haut procul, ait, ab vrbe* Christianstad *in Scania prope praedium* Råbelöf *& pagum Raebyenſem, ſpecus viſitur inſignis ſubterranea, cuius antrum cum ante annos aliquot meo iuſſu ſeruus quidam intraret, obſeruauit ille profunditatem cauernae ad centum Orgyias circiter accedere. Ad profunditatem duarum Orgyiarum poſtquam ſeruus peruenerat, nouum iterum tabulatum ſiue ſtratum ſubterraneum deprehendit, vnde aditus ad alias plus quam triginta ſpeluncas fornicatas patebat, quae omnes e ſimili materia calcaria conchifera albida vel ſublutea conſtare videbantur.*

*Totius*

diſtante, oſtrocodermatum foſſilium quoque admodum feraci, nec non in campis arenoſis Territorii Gerſiorum ad

*Totius ſpecus huius calcaria facies interior fodinam antiquam cum cuniculis ſuis & puteolis referebat, ad quorum adyta tamen nemo nunc ob aquam ſubterraneam, omnia inundantem, penetrare poteſt. Quandoquidem autem, addidit Vir ille celeberrimus, vlteriorem illius cryptae deſcriptionem pollicitus ſim, non potui non occaſionem heic arripere, me publico excuſandi, quod inconſideratius olim forte promiſſa nondum praeſtare potuerim, ac exigua admodum ſpes ſuperſit, me poſthac praeſtiturum eſſe. Sonticae enim, quae me huic curioſitati vacare prohibent, ſatis ſuperque, proh dolor! popularibus meis notae ſunt; ſtudioſi autem rerum naturalium aliquot, & alii quoque quibus hoc negotium diuerſo anni tempore commiſi, ſemper cauſſati ſunt aquas ſubterraneas, propter quas vltra decem orgyias progredi nunquam potuerunt, quin & harum aquarum cum lacu vicino certam communicationem praetenderunt. Interim tamen quaecunque illi narrauerunt, ſatis bene conueniunt cum iis, quae retulit* D. Ferber *Pharmacopaeus Claſſis Regiae Carolicoronenſis & Colleg. Med. Reg. Holm. Adſeſſor. Neque multum abludunt ab alia quadam relatione, quam puer iam pridem accepi; nimirum Doctorem quendam medicinae, cui ſi recte meminerim, nomen erat* Gottfried Hypoff, *face armatum, & fune inſtar fili Ariadnes, accinctum hanc ſubintrauiſſe cauernam, ſed ob aquarum lutique ibi occurrentium profunditatem non adeo longe proceſſiſſe, ſed multo vdum coeno, ſordidatumque mox reuertiſſe, nihil vero aliud narrauiſſe, quam cauernam hanc ſatis eſſe amplam, multis columnis, ſcamnis & oſtiis vndiquaque inſtructam, vt niſi funiculum iſtum habuiſſet, ad quem reditum dirigeret, nunquam incolumis iterum in auras euaſiſſet. Si quid*

ad arcem Vitischoliam (p) lectum accepi, sed tandem etiam a Lapicidina Egnabergensi in Gothungia (q) plurima nitidissima specimina protuli, & huic optimo, iam



*quid coniectura valet, mihi equidem verisimile videtur, olim aut Latomias fuisse calcarias, quoniam huius loci fossilia quam maxime conueniunt cum illis, quae in Egnabergensibus occurrunt; aut ferri fodinas, ante aliquot secula exhaustas & desertas, cum ochra illa copiosa ibidem reperiunda, nec non parui quidam globuli eiusdem materiae in glarea eiusdem loci obuii, minerae martis globulari similes, id insinuare videntur; quid quod traditio illa de Fabro Velento, a quo spelunca haec olim inhabitata creditur, idem hoc innuere videatur.*

(p) *Antiquissima sedes illustrissimae olim Gentis Braheanae, nunc Barnekouiae, non confundenda cum Vitaeschola, coenobio in Iuthia a Valdemaro I. R. D. fundato.*

(q) *Sic antiquarii nostrates territorium, quod vernacula lingua* Göthinge, *vel contracte* Göinge-Härad *vulgo dicitur, quasi filios & coloniam Gothorum appellare solent. Hoc antiquissimam fuisse patriam Gothunnorum, de quibus Claudianus canit:*

*— — — — Ostrogothis colitur mistisque Gothunnis*
*Phryx ager — — — —*

*vel ipsa nominis similitudo, geniusque gentis confirmant. Ex eadem hac patria prodiisse Achonem, qui cum Ebbone fratre vterino Langobardorum e Scandinauia egredientium dux fuit, non tantum testatur ode illa vetusta a Lyscandro vid.* Danske Kongers Slegtebog *p. m. 263, & Stephanio in notis ad Saxonem Grammaticum cum approbatione citata; sed a Verelio in notis ad Historiam Gothrici p. m 9. impugnata & damnata, docte autem a Vinslouio Spicilegii Arctoi Cap. I. denuo defensa; Cuius*

vero desideratissimo Patrono misi, testaceis fossilibus admumerare exiguum hoc nostrum numisma amplius non dubitauit, adhuc vtrum ad vniualuia, an vero ad turbinatorum opercula sit referendum, quidem dubius, ad hanc tamen quam ad sententiam illam procliuior, prout ipse loco citato de se fatetur: Quo titulo, inquit, nouum hocce & nondum descriptum testaceum salutare debeo, ignoro, dubius adhuc dum, vtrum ad

*ius cantilenae initium tale est:* Ebbe oc Age de Hellede fro &c. *quae etiam in collectione Velleiana, vel potius Vedeliana,* Danske Kiämpe wiser *legitur, sed non parum immutata huncque in modum incipiens:* Der boede en Koning i Dannemark. *Sed insuper etiam ipse* Vuarnefridus, *alias* Paulus *Diaconus dictus, Lib. I. cap. XIV. mentionem faciens Agelmundi, primi Regis Langobardorum, Aionis filii de Gungincorum gente, quam gentem apud eos meliorem & fortiorem esse perhibet, profecto vix aliam quam hanc vetustissimam Gothorum in Scania nostra progeniem indigitat. Haec equidem satis pulcra sunt & praeclara, ceterum alicui forte non omni fundamento carere videbitur etymologia, quam in Lexico Islandico suppeditat Gudmundus Andreae, nimirum* Göinge Hårad *dictum fuisse a* Gunge, *quod loca palustria transitu difficilia & periculosa significat, vulgo alias* Måhar *dicta, quae quidem in hac regione non sunt adeo infrequentia. Interim tamen cum pro priore illa denominationis ratione & historia & vetus scribendi modus seu orthographia causam dicant, vti testatur* Andreas Stobaeus, *patruus quondam honoratissimus in dissertatione de Scania antiqua p. 12. merito illam retinemus, quoniam etiam alia sunt Scaniae territoria non minus palustribus locis scatentia, nec tamen inde denominata. Sed ne taedium Lectori afferam, de hisce, quae patriae meae gloriam concernunt, plura addere supersedeo.*

ad vmbilici cuiusdam marini, blattae vel patellae genus pertineat. Cum Cochleae tamen marinae peregrinae operculo magnam affinitatem habere videtur. &c. Huic autem Physici sane consummatissimi sententiae, quanquam rationibus plausibilibus innixae, quo minus accedere possim, ipsa naturae ratio vetat, quippe quae dictitat, foraminula illa sic contra ipsius naturae intentionem atque citra omnem vsum tali operculo fuisse data. Etenim testaceorum turbinatorum siue terrestrium siue aquaticorum & marinorum opercula, Blattae Byzantinae, vngues, vmbilici marini & quocunque alio nomine notata quotquot adhuc in conspectum naturae consultorum venerunt, animali eiusmodi vt inseruiant ad arcendum aërem, terram, arenam, aquam, vermes marinos aliasque res peregrinas, omnia integra sunt, nullisque foraminibus peruia. Neque Patellis adscribere hunc nostrum numulum sustineo, quod planior & pro sua mole longe crassior sit reliquis huius generis testis, quod longe alio modo perforata sit quam vel patellae quaedam in vertice foramen habentes, vel aures marinae ad alterum latus pluribus fenestris praeditae, & quod non in margine suo, sed potius aduersae faciei illa parte, vbi tres isti meatus exitum habent, aliis rebus imprimis testis, vti inferius patebit, adhaesisse videtur (r). Restant itaque sola bi-

 ualuia,

(r) *Quibus addi potest, quod patellae, lapidibus aut aliis conchis non inuersae & supinae, prout numulus in fig. 4. adiectae tabulae, sed pronae lapidibus aliisue conchis innasci soleant. Nihilominus tamen Cl. D. D.* Linnaeus *hunc nostrum numulum patellis adnumerandum esse censet. vid. Syst. Nat. Tab. de Regno Lapideo.*

ualuia, quo referri poteſt, & in his quidem maximam cum oſtraceo genere affinitatem habere, his quae ſequuntur, argumentis demonſtratum iri exiſtimo (s). Primo oſtrea per latam planamque articulationem nerui ope connectuntur, ſed ginglymo proprie ſic dicto, quali

(s) *Praecipuum vero teſtimonium, hanc meam ſententiam confirmans, haec e literis Reuerendi Domini* Iſaaci Carlſtröm *ad Venerabilem & praeclariſſimum Dn. Mag.* Preb. Blanxium, *Praepoſitum Normanbiae Gerſienſis & Paſtorem Eccleſiarum Koepinge & Lyngſiae laudatiſſimum ante triennium & quod excurrit datis excerpta adducere iuuat: Poſtquam per Dominum* Petraeum *Nobiliſſimi Dni Archiatri* K. Stobaei *deſiderium mihi innotuit, de comparandis Numulis quibusdam, ſic dictis Brattensburgenſibus, eiusdem petitioni, quantum quidem potui, ſatisfacere ſtudui; cum vero hoc potiſſimum anni tempore, immo ſaepius iam ſolito aqua e lacu noſtro altius adſcendere coeperit, non plures adhuc conquirere licuit, quam vnde viginti illos quos Dno* Petraeo, *vt per Te, honoratiſſime Frater, Nobiliſſimo noſtro traderentur Archiatro, reddidi. Proinde etiam amiciſſime oro quaeſoque, velis, mi amantiſſime Frater, huic noſtro Medico celeberrimo, meis verbis ſalutem dicere plurimam, ſimulque narrare, me ipſum anno proxime praeterlapſo in campis noſtris talem inueniſſe numulum, concharum inſtar vulgarium duplici inſtructum teſta, cuius quoque binae facies exteriores ſimillimae erant ſimplicibus iſtis ſaepius obuiis, qui in extrema ſui parte, meo iudicio, lilium quod referunt, in interiori ſemper caluariae hominis figuram repraeſentant; Hunc a me inuentum Numulum papyro inuolutum in pera veſtium ſeruandum repoſuiſſe, quo illum data occaſione curioſo noſtro Archiatro trans-*

quali Chamae, Tellinae, Mufculi, Conchae & reliqua huius cenfus animalia ornantur, carent, adeoque parum huic noftrae opinioni obeft, quod ginglymus in tefta hac adeo minuta defideretur, cum leuis eiusmodi articulatio in eadem vix poffit effe fatis euidens & confpicua. Secundo teftas habent ofttea fatis craffas mediocri cauitate donata, alteram fere planam, alteram modice tantum ventricofam, vtramque e lamellis, quae rugas efficiunt circinatas & quafi fquamatas, compofitam. Tertio ad figuram orbicularem propius vt plurimum accedunt, & ad vmbonem qui in hac noftra teftula fatis eft confpicuus, vix parum elongantur. Quod vero parafiticum (t) dixerim hunc noftrum



*transmitterem, fed dolere me illum vna cum inuolucro amififfe, & licet poftea & ipfe & per alios fimilem anxie admodum quaefiuerim, hactenus tamen & oleum & operam perdidiffe. Verum vt talem adhuc nancifcar, omnem certe mouebo lapidem, & fi obuenerit, in Nobiliff. illius Viri oblectamentum lubentiffime offeram.*

(t) *Superuacaneum hoc Parafitici epitheton noftro Oftracitae numismali heic tributum, forte non abs re quibusdam vifum eft; fic enim in literis ad me datis Celeberrimus Dnus* Iofephus Monti, *perilluftre illud Academiae Bononienfis decus fcribit: Parafitici nota, quam fuperaddere tibi arrifit, non omnino, fi quid ipfe iudico, neceffaria videtur, quoniam huiuscemodi teftaceorum genus, vt non ignoras, immobiliter femper vel fcopulis, vel cuiuis alii corpori marino adhaerere confuefcit. Enimvero quam faepiffime Oftreae in Mufeis fefe fiftunt vel cruftaceis, vel teftaceis vel lapidibus aliisque adnexae, ex quibus neutiquam alimentum capeffere rationi videtur confentaneum. Haec ille; interim tamen quamuis commode*

ſtrum oſtraciten, fecit conſideratio trium iſtorum foraminum, per quae ſcilicet iſta teſta mihi viſa fuit cum alia quadam maiori olim communicaſſe, & inſtar

*mode negari nequeat, eiusmodi animalia non raro talibus adnaſci corporibus, quae ipſis ne minimum quidem alimenti ſubminiſtrare poſſint: Nec ipſe diffitear illud praedicatum quodammodo videri ſuperfluum, minusque neceſſarium; Nec propterea id ipſum expungi atque reiici adeo aegre feram: Nihilominus omni fundamento carere hanc meam aſſertionem, vix tamen crederem. Etenim prorſus rationi haud videtur contrarium, haec animalia duplici modo nutriri, atque cum per os, vti caetera pleraque, tum inſtar plantarum per radices ſeu infimas partes, quibus alii corpori tanquam fundamento, aut ſi mauis, fundo ſuo inhaerent, immo totam corporis ſuperficiem, vt alia quaedam ſubmarina, ex ipſa aqua idoneum aſſumere nutrimentum. Nam quemadmodum obſeruatum eſt, arbores muſcis & lichenibus nimis obſitas, non tantum minus eſſe fertiles, ſed etiam non raro, ſubducto ipſis per hoſce paraſitos nutrimento, tandem penitus exareſcere & emori, ita etiam animalia illa ſiue cruſtacea, ſiue teſtacea, quae denſe nimis a balanis aut tubulis marinis obſidentur, langueſcunt, contabeſcunt tandemque exſtinguuntur, manifeſto indicio Gnathones hoſce ſuo plurimum nocere hoſpiti, & ipſi tanquam peſtem quandam exitiales & funeſtos exiſtere. Deinde niſi communicatio quaedam intercederet inter corpus animalis illius primarii & alterius in eodem hoſpitantis, fruſtra ſane huius baſis poris, ſatis interdum conſpicuis, eſſet inſtructa tubularibus, ſuccum alimentarem e corpore illius, cui inhaeret, adſcenſuram recipientibus; fruſtra etiam ipſius animalis corpus alterius corpori, vt oſtreum paruum heic deſcriptum & ſub figura 5. & 6. Tab. I. depictum per ligamentum*

ſtar Balani eidem innata fuiſſe. Ne autem videar hoc gratis praeſumſiſſe, iam in hanc rem nonnullas obſeruationes quoque addam. Non ſemel oſtreo noruagico adhaerentem & innatam inueni Concham paruam, Biualuem, cuius ſuperior teſta ſtriata, rotunda & parum conuexa patellae, vel potius Oſtreo non diſſimilis eſt, inferior autem falcata & plana, prope articulationis locum rotundo & inſigni foramine, per quod nerui tranſeuntis, tanquam funiculi umbilicalis ope, Oſtrei maioris ſuperiori teſtae, ceu matris

*mentum illud fibroſum durius tanquam per funiculum quendam vmbilicalem adnecteretur, niſi haec amborum corporum connexio vitae animalis ſuſtentandae inſeruiret. Hoc vero eo magis mihi perſuaſum eſt, quod ipſe meis oculis phaenomenon aliquando obſeruauerim, cuius aetiologia mihi alias ſatis difficilis & obſcura videtur. Nam ante XVI. annos cum Gothoburgi, vbi tum poliatri munere fungebar, commorarer, acceptamque oſtrei ſingularis magnitudinis teſtam, animali ſuo vacuam, cui innatus erat Balanus, in tabula non procul a camino repoſitam conſiderarem ſaepius: Balanum illum per aliquot ſeptimanas vivere deprehendi, atque flamma e foco alacrius lucente, bruma autem intenſiſſimo frigore ſaeuiens hanc ſaepius exigebat, teſtes quatuor, quae ipſis inſtar oris ſunt, valide diducere ac contrahere, ſicque ſonorum ſtrepitum popiſmo non diſſimilem edere. Quae eius viuacitas tam diu durauit, vsque dum maxima pars humoris inter lamellas Oſtrei contenta tandem fuit conſumpta & exſiccata, vt vix dubitandum videatur, non prorſus nullum ſuccum ex oſtrei illius teſta Balano in alimentum ceſſiſſe, cum alias animalculum illud, niſi aliunde ſuppetias accepiſſet, quotidianus foci calor facile exſuccum aridumque reddidiſſet.*

tris corpori firmiter adnectitur, praedita; cuius testacei delineationes adiectae icones *Tab. I.* No. 5 & 6. adumbrant. Hoc autem non solum probat, dari Conchas eiusmodi biualues parasiticas, siue illa pro specie diuersa sit habenda, siue pro foetura ipsius Ostrei maioris, cuius corpori tanquam matri inhaeret; verum etiam vltro non leuem cum hoc nostro fossili analogiam manifestat. Nam in plerorumque horum numulorum seu ostracitarum auersa facie prope articulationis locum, vbi tria illa foramina contrahuntur & exeunt, apparet stigma quoddam, cohaesionis pristinae cum alio corpore vestigium satis euidens. Inprimis autem huic meae assertioni lucem affert Conchites anomius striatus & plicatus e Lapicidina Egnabergensi, cui insidet dicto modo Numulus eiusmodi nitidissimus, quemadmodum figura adiecta sub No. 4. sistit; Nec non alius in insula Ivaeana lectus, qui loco iam antea notato portionem pectinis, seu alius Conchae striatae adglutinatam habet. Neque ibidem inuentus alius paruus quidem sed elegantissimus, reliquis sui generis profundiore cauitate instructus, huic meae contrariatur coniecturae, quippe qui in neutra, vti coeteri, oculorum nasique loco habet foramina, sed in caua parte grana quasi arenacea hasce partes apprime fingentia (u), in auersa autem & conuexa vix punctula

(u) *Quae tubercula oculos & nares referentia non tam vera grana arenacea foraminibus impacta esse videntur quam ipsae reliquiae fibrarum duriorum animalculi huic testae quondam inclusi, petrificatae, quod ipsum probare licet, Pectunculi minimi in lapide corneo inuenti & in scriniolo meo*

punctula minutiſſima conſpicua, hiſce reſpondentia; vid. fig. 3. quod admodum veriſimile videatur illum fuiſſe teſtam ſuperiorem. Quo etiam pertinent nonnulli alii proni lapidi Calcario Egnabergenſi immerſi, nulliſque oculorum naſique veſtigiis extrinſecus inſigniti, veluti alter ille planior perforatus, qui frequentior occurrit, pro inferiore non abs re venditari poteſt. Quidquid ſit, ego hanc meam opinionem, quam nunquam mordicus defendam, quanquam non omnino probabilibus rationibus deſtitutam, amicae tuae cenſurae vlterius ſubiicio; Interim tamen liceat dubitare, num pro Inſecti cuiusdam ſiue reptilis ſiue volatilis clypeo, cuiusmodi Capitis mortui figura chemica notato, poſſit haberi; fateor equidem eſſe quoddam Cimicum Syluestrium genus, quod, ni fallor, Hiſtoriographi naturae Orſodacnen vocant, faciem humanam quoque adumbrans; verum longe alio modo res cum eodem eſt comparata. Nam hic noſter numulus non tantum figura, craſſitie & ſubſtantia, longiſſime ab inſectorum clypeis differre videtur, ſed etiam foraminibus iam ſaepe commemoratis, quorum analoga in omnibus horum animalculorum ordinibus fruſtra quaeſiui. Reptilium vel anelytrorum, ſi quae ſunt talibus clypeis munita, ſcutula ſeu integumenta corneae ac cruſtaceae



*meo lapidario aſſeruati exemplo, cuius totum animal in ſubſtantiam prorſus ſimilem induratum & transformatum eſt. Poſtmodum etiam e latomiis Egnabergenſibus plura eiusmodi ſpecimina, tubercula pro foraminibus oculorum naſique loco exhibentia, vt neque ille, cuius mentio heic facta eſt iam amplius ſit vnicus & ſolus talis; neque dubitandum, tales conſtituiſſe olim alteram huiuſce parui oſtrei teſtam.*

indolis, inciſuris annularibus ex conſtanti naturae ordine diſtinguerentur: Coleopterorum autem ac volatilium vaginae ſeu thecae nunquam non ſunt binae ſimul iunctae, clypeum iſtum componentes, quarum figura, vtpote oblonga & dimidiata, huic noſtro numulo orbiculari minime conuenit. Quid quod pauca foſſilia occurrant, quae pro inſectis haberi queunt, ſed adhuc pauciora & forte nulla, quae thecas ipſorum integras ſiſtunt. Neque pro ſcutulo teſtudinis alicuius reputare audeo, quae altera Tua, Vir Praeclariſſime, eſt coniectura; cum hoc figura, perforatio, ſubſtantia, atque animalis huius in foſſili regno ſpoliorum raritas ſumma diſſuadent, vtut negare haud poſſim in teſtudinum quarundam ſpeculis forte figuras ſimiles etiam obſeruatas fuiſſe. Quod iam ad alterum illud foſſile, e Lapicidina Egnabergenſi erutum, attinet, quod proxima aeſtate ad fontem nominatum degens, antea non viſum accepi, & Tibi pro Corallini generis lapide, forte nondum deſcripto, omni tum ſupellectili libraria deſtitutus obtuli, Tu vero, mi Grothuſi, in hiſce naturae illecebris oculatiſſime, fragmenta cornu Ammonis ramoſi eſſe, quod vix ac ne vix quidem integrum & illibatum inuenitur, rectiſſime iudicas; Hisque ſimilia in Weſtphalia non procul a riuo quodam, Miegbecke incolis dicto, praeter multa alia & quidem rariora petrefacta, abundanter in lapide fiſſili nigro inueniri aſſeris; victas tibi prorſus lubentiſſime do manus, poſthac cornuum ammonis ordini non tantum Vormii, Scheuchzeri, Baieri, aliorumque, ſed & tua auctoritate fretus, ſub titulo fragmentorum Cornu Ammonis cuiusdam maioris per

ſuturas,

ſuturas, frondoſa vel foliacea ornamenta repraeſentantes, in articulos ſimiles facile ſeparabiles, eundem adſcripturus. Memoria exciderat, quod ſumme Venerabilis naturae Myſta Vormius habet de ſceleto ſerpentis Cl. D. D. Chriſtiani Fabricii in Scania noſtra inuento (v). Neque in mentem tum venerant deſcriptiones figuraeque, quas non diſſimilium Nautilitarum, ſeu Cornuum Ammonis exhibent Excell. Scheuchzerus, Iubar illud orbis literati fulgidiſſimum (w): Nec non inſigne Altorfinae Academiae decus, Celeberrimus Baierus (x). Forte huc quoque non immerito retuliſſem Pinacion fuſcum quadratum: ſiue Xyloſteon tabulatum maximum Luidii (y), niſi memoria debitum officium mihi negaſſet. Idcirco figuras lapidis huiusce foliaceas, fuci alicuius marini foliis, vel lichenoidis cuiusdam non prorſus diſſimiles, inque partes ſeu articulos ſponte ſua facile ſeparabiles, quae non inepte arbuſculae cuiusdam marinae ramulos referebant, obiter inſpicienti aptior locus, quo illum referrem, quam ille plantarum ſubmarinarum foſſilium, non ſuccurrit; praecipue cum in fragmentis meis ne minimum ſpirae aut teſtae, nec in interiori lapidis admodum fragilis ſubſtantia concamerationis alicuius veſtigium comparuerit, contra fragmenta haec vlterius diffringenti & examinanti, ramificationes in ſuperficie ſibi inuicem occurſantes inferius in diuerſas quaſi radices ad linearum aliquot craſſitiem lapidi immerſas, colligi viderentur;

D 2 confer.

(v) *Muſ. Vorm. pag. 86.*

(w) *Oryctograph. Heluet. pag. 254, 267. & fig. 17, 43 & 46. item Phyſic. Sac. V. T. tab. 59. fig. 119.*

(x) *Oryctograph. Noric. pag. 61. Tab. II. fig. 4, 5 & 6.*

(y) *Ichnograph. Lithophylac. Britan. No. 1531.*

confer. fig. 7, 8, 9. (z) Neque e uaſtiſſima illa teſtaceorum hiſtoria exemplum alicuius turbinati, quod per eiusmodi ſuturas vndulatas ſeu ramoſas articulatim eſſet compoſitum, adducere potuerim. Interea num blandienti & naeuos excuſanti amicitiae tuae erga me adſcribam, num vero fallacem & tuam memoriam amice accuſem, quod meum erraſti errorem & lapidem hunc vix antea a quoquam eſſe deſcriptum prodidiſti, neſcio; ſiue autem hoc, ſiue illud verum ſit, liceat certe mihi ſocii cariſſimi, ſimul & eruditiſſimi pallio amicitiae

(z) *Certe non raro hi articulorum ramoſorum occurſus ad digiti fere craſſitiem lapidis ſubſtantiam penetrant, vt inde foret neceſſe, tantam olim fuiſſe teſtae illius ſoliditatem ſtatuere, quod equidem contra experientiam ipſamque adeo naturam rei manifeſto pugnat; cum ne minimum quidem huius tam craſſae conchae verum & euidens momentum appareat in materia, vbi alias tot conchulae minimae & tenuiſſimae integrae fuerunt conſeruatae. confer. Act. Lit. Vpſal. Vol. II. p. 560. Haec mea tum, cum primum edita fuit haec epiſtola, erat ſententia; iam vero nullum mihi amplius dubium reſtat, veris cornubus Ammonis haec noſtra fragmenta & originem & figuram debere, iisdemque eſſe accenſenda: Quoniam poſthac & ipſe praeſtantiora nactus ſum ſpecimina, & inſuper Iuuenis literis moribusque ornatiſſimus Dominus* Ioannes Henricus Burmeſter, *impiger ſane rerum naturalium ſtudioſus, nec infelix indagator atque collector, integrum eiusmodi in latomiis Egnabergenſibus inuenit cornu Ammonis illi prorſus ſimile, quod antea D. D.* Fabricius *habuit & Clariſſ.* Vormius *in Muſeo ſub titulo ſceleti ſerpentis depictum dedit. Huius equidem magnitudo etiam ſatis conſpicua eſt & memorabilis; nam peripheria circiter vncias ſedecim aequat, diameter quinque, craſſities vero vnam cum ſemiſſe, vt vix maius in hiſce noſtris oris nondum eſſe repertum, crederem.*

tiae & humanitatis hanc meam obuelare ignorantiam. Obicem vero illum quem Tu, Doctissime Vir, mihi obiicis, quod scilicet nondum in toto terrarum orbe sit detecta species alicuius plantae corallinae, quae tali modo sit comparata, quidem praeuidens, sed eo minus curans, quod pace tua eundem contra Cornua Ammonis, quorum ectypa pleraque adhuc in regno animali quoque desiderantur, regerere potuissem, credidi in maris abysso innumera adhuc latere corpora nondum cognita & descripta, vix ac ne vix quidem seris nepotibus perfecte cognoscenda & describenda. Certe hoc persuadebunt fere omnes plantarum animaliumque fossilium petrificatorumque numerosae familiae Alueoli, Belemnitae, Encrini, Entrochi, Asteriae, Echinitae, Columelli, Corallitae &c. Quoniam constans figura & organismus partium euidentissimus, certum finem respiciens, omnino prohibet aliunde ipsorum originem accersere, quamuis in eadem inuestiganda atque determinanda maxima occurrat difficultas, & mirum quantum hallucinati sunt Physici, alias sagacissimi. Profecto hic & fere in omni pagina, cogimur nos homunciones fateri ignorantiam, & Creatoris Optimi Maximi Omnipotentiam, sapientiam, sanctitatem & iustitiam vel in rebus minimis & vilissimis, quas quotidie pedibus calcamus, attoniti & proni admirari, adorare. Huius clementissimae Gratiae Te, Fautor & Amice colendissime, ex intimo animo commendo, qui ero dum ero

*Amplissime & Experientissime Domine Doctor*
*Fautor & Amice honoratissime*

Londini Scanorum die XXIV. Octob.
Ao. MDCCXXXI.

*Tui amantissimus & ad officia quaeuis paratissimus*

K. S.

Notabiliora Oſtracitae Numismatici ſpecimina, quae in Lithophylacio Academico Lundenſi occurrunt, ſunt ſequentia.

1) Numulus Brattensburgenſis, ſeu oſtracites minimus paraſiticus orbicularis numulo cauo, figuram caluariae hominis vtcunque referenti ſimilis, e Lacu Ivaeano ad villam Epiſcopalem.

2) Oſtracites Numismaticus eiusmodi maior & candidior e Lapicidina Egnabergenſi.

3) Oſtracitae Numismatici candidi minimi ſaxo calcario Egnabergenſi inhaerentes.

4) Oſtracites Numismaticus idem prona parte lapidi calcario eidem inhaerens, in quo deſiderantur tria illa foraminula, quae in caeteris occurrunt.

5) Oſtracites Numismalis, in cuius parte auerſa apparet veſtigium priſtinae cohaeſionis cum alia teſta.

6) Oſtracites Numismaticus eiusdem generis, cuius parti ſuperiori adhaeret portio pectunculi.

7) Oſtracites minimus ex eadem familia nitidus, inſidens Conchitae anomio ſtriato & plicato, e Lapicidina Egnabergenſi.

8) Oſtracites Numismaticus eiusdem familiae, profundiore cauitate, & oculis naſoque prominentibus, e Lacu Ivaeano.


Expli-

T: I:

Prope Lundinum, inter pagos Knästorp & Opagra, inventus est hic Culter siliceus anno M. D. CC. XIII. abs agricola Lille-Räbijensi, sub saxea, in quod vomere impegerat, monumento, decem fere ulnarum longitudinis, quatuor latitudinis, altitudinis duarum: molis quidem tantae, ut ex disruptis lapidibus, non parvis, et gemina olim serie, altera super alteram, locatis, quatuordecem ad struendam e saxo sepem abduxerit vehes. Peculiari industria jacuit involutus terrae ex arena et argilla praeparatae. Diffracti cuspidem et manubrium cum per incuriam repertor abjecerit, non potuerunt hic exacte designari. Index loci etiamnum propinqua visitur insignis pila lapidea canae aetatis, hodie abs rusticis Länge-Pehr vocata.



Saxei, cujus facta mentio, monumenti aliqualis delineatio, ex narratu agricolae: quem, penes sit fides. To-ta vita nostra est ludus.



Fortuna saevo laeta negotio: et
Ludum insolentem ludere pertinax:
Transmutat incertos honores
Nunc mihi nunc alii benigna.



Non procul ab urbe Malmogia, in Mellan-Grevjensis angulo templi, pone altare collapso per vetustatem frustulo muri, inter rudera inventus est hic Culter siliceus anno M. DC. XC.

Tab. VI

# Explicatio Figurarum.

## Tab. I.

1. Fig.

*Numuli Brattensburgensis facies supina.* quam vide in cap libri.

2. Fig.

*Eiusdem facies prona.*

3. Fig.

*Numulus minor rarissimus, oculis & naso prominentibus, e Lapicidina Egnabergensi in Gothungia.*

4. Fig.

*Numulus Conchitae anomio seu Ostracitae striato & plicato insidens, ex eodem loco.*

5. & 6. Fig.

*Ostreum Parasiticum biualue, quod Ostreo Noruagico vulgari innatum satis frequens reperitur.*

7. 8. & 9. Fig.

*Cornu Ammonis cuiusdam maioris, suturis frondosa vel foliacea ornamenta repraesentantibus, fragmenta diuersa.*



# Literae Dni Doctoris Grothausii ad Auctorem.



*Celeberrime & Experientissime Domine Professor,*

*Fautor & Amice aestumatissime!*

Valde admodum scire aueo, quid de me cogites. Pro tot enim tantisque beneficiis, quibus me Ramloesae onerare dignatus es, per literas gratiarum actionem spospondi. Sed hactenus altum fuit silentium. Dicas quaeso, nonne meam in dubium vocasti fidem? Sane gaudeo, quod Germanorum fides nondum abierit in prouerbium vti Graecorum. Et si fecisses etiam, recte sane. Ast salua res est. Literae enim, quas paulo post meum in Daniam reditum ad Te exaraui, nescio quo infelici sidere ad meas iterum peruenerunt lares. Hodie me nouo humanitatis genere Tibi fecisti obstrictissimum cista quadam, rebus naturalibus sane curiosis repleta, quam hactenus quotidie, sed incassum expectaueram. Numos Brattensburgenses nunquam vidi. Singularem eorundem miratus sum structuram. Vix mihi persuadere possum, ostrearum quarundam esse opercula. Alias in tanta copia forsitan vnam alteramue inuenires ostream totam, aut ad minimum alteram eiusdem partem. Deinde nullus adest ginglymus aut ipsius vestigium, alias in ostrearum genere satis conspicuus. Forsitan est

eſt clypeus reptilis cuiusdam inſecti, quem vti teſtudines teſtae inſtar in dorſo gerit. Hoc experimentis chemicis demonſtrari poſſet, an ante petrificationem corneae, vti clypei teſtitudinum, an vero oſtreaciae indolis fuerit. Mihi iam non tantum vacat temporis, vt lapidem lydium pyrotechnicum Carlii adhibeam, nec tanta numorum iſtorum copia adeſt. Iſtud ſatis patet, quod inueniantur clypei teſtudinum, qui tales in interiori parte & ſuperficie repraeſentant foueas, quae heic ſceleti faciem innuunt. In poſterum de his plura. Lapides quos corallinos adpellas, a nemine quantum ego ſcio ſunt deſcripti. In Weſtphalia non procul a riuo quodam Miegbecke noſtratibus dicto, praeter multa alia & quidem rariora petrefacta tales inueniuntur abundanter, aſt lapide nigro ſciſſili ſunt obducti, vti hi in lapide inueniuntur calcario. Adhuc nondum in toto terrarum orbe ſpecies corallina eſt detecta, quae tali modo ſit comparata. Nam in quibusdam corpus quoddam laeuigatum inuenies, & quidem magnum interſtitium inter mirabiles iſtas ſuturas. Vix fidem inueniam, ſi coniecturare vellem, lapidem iſtum ex animalium eſſe proſapia. Et quidem fragmenta eſſe cornu Ammonis ramoſi, quod vix ac ne vix quidem integrum atque illibatum inuenitur. Sed quid Tibi, Fautor amice ſummopere colende, pro tanto munere retribuam. Par pari referre nequeo. Meum enim muſeum (ſi manipulum rerum vbiuis obuiarum ita adpellare licet) adhuc in mira confuſione in Weſtphalia deliteſcit. Quaedam tamen mihi ſeſe offert occaſio. Miſſionarii enim noſtri iuſſu Collegii noſtri orphanotrophei, a quo nimirum dependent, varia miſerunt

ſerunt curioſa, quod ſingulis annis continuare debent. Decimas eorundem Tibi, Vir praeſtantiſſime, lubentiſſime trado. Ne totus, totus ſim impar.

1) Ruttiratſcham fructus ſunt arboris cuiusdam in horto malabarico deſcriptae, quibus pagani inauditam exercent ſuperſtitionem. vid. Miſſions-Nachricht P. VII.
2) Nelli-caj fructus ſunt. Aqua hiſce penitius cocta abluunt caput cum leuamine.
3) Sembagapu adhibent contra inflammationem & dolores oculorum ſingulari cum euphoria. vid. Alpinum de Plantis Aegypti Cap. 19. Tit. Sambac.
4) Reſina Cancalon quae ab Indis ſuffimigii inſtar & ad pleraque Emplaſtra vſurpatur.
5) Kligaram-padtei, vnguentis inſeruit.
6) Siru-nagel-pu, flores ſunt minores ſpeciei cuiusdam arboris moſchatae, quos contra intenſiſſimam ſitim in febribus continuis adhibent.
7) Puam-barrham, ſummum eſt antidotum. Aliqui etiam, vti hac vice miſſionarii per literas monent, ad delendas maculas in veſtibus ſericeis aut potius bombycinis vſurpant.
8) Margorium vid. Hort. Malab. Planta quae notam meretur.
9) Scriptura Arabico-malabarica in charta chinenſi, quae ſemper ſubrubra eſſe ſolet. *NB.* Iſtae ſcripturae in paucis admodum muſeis inueniuntur, rariſſimae enim ſunt.
10) Kukkil, gummi-reſina eſt, in veterinaria vel mulo-medicina magni emolumenti in plerisque fere caſibus.

Vereor ſane poſtremo ne Tibi longiori epiſtola ſim moleſtus. Si Deo ita viſum fuerit, forſitan coram plura. Vale interim & faue

*TVO*

Hafniae d. 15 Sept.
1731.

T. W. Grothauſio.

II.

# II.

# TRIA ANTIQVA MONVMENTA
## HISTORICA LVNDENSIA
E
## CODICE MEMBRANACEO MANVSCRIPTO
## BIBLIOTHECAE PVBLICAE EDITA,
ET
## COMMENTARIOLIS EX MONVMENTIS ITIDEM MANVSCRIPTIS ET ANTIQVIS MAXIMAM PARTEM ILLVSTRATA.



## PROLEGOMENA.

*Quas tibi heic offero, minutas antiquitatis lacinias noli aspernari, Amice Lector; alicuius enim pretii esse, quamuis primo intuitu fortassis tibi non satis dignae videantur, quae historiae aliquid auctoritatis concilient, non dubito aequos & peritos rerum censores iudicaturos. Etenim reliquias prisci illius Seculi, quod non tam rerum memorabilium, quam idoneorum Scriptorum penuria premebatur, atque adeo historiam multis in locis incertam, hiulcam & controuersiis obnoxiam relinquebat, quantulaecunque illae sunt, tanti faciendas existimo, vt nemo non eruditus & cordatus veritatis studiosus non tantum non easdem fastidiat, verum etiam e latibulis suis, vbi cum blattis tineisque colluctantur, producere vltro non recuset. Hinc nostro aeuo viri consummatae eruditionis gloria clarissimi,*

*rissimi, & de re historica, immo vniuersa literaria meritissimi eiusmodi scriptis ex omni angulo conquirendis & in lucem edendis operam nunquam satis laudandam nauarunt, vt lacunis historiae istorum temporum implendis, non opinationibus, sed documentis consulerent. Instar omnium mihi hoc loco commemorandus est Reuerendissimus Lincopensium Praesul, Polyhistor ille consummatissimus Dominus Ericus Benzelius, per totum adeo orbem eruditum famigeratissimus, qui praeter alia sua permulta in patriam & ecclesiam immortalia merita, quantum luminis historiae nostrae editis e manuscripto historicis Ecclesiae Sueco-Gothicae monumentis antiquis, tum praefectus Bibliothecae publicae Vpsaliensis addiderit, illi soli ignorant, qui in maxime necessario hoc studiorum genere mox in limine subsistunt, nec fundamenta scrutari, neque vlterius progredi, aut ipsorum fontium scaturigines contemplari curant. Sic etiam omnigena eruditione Nobilissimorum Doctorum, maxime Reuerendorum Dn. O. Celsii & G. Wallini, Consultiss. Dn. Nettelbladii, nec non Arnae Magnaei, Ott. Sperlingii, Henr. Meibomii aliorumque laudabilem in hoc negotio solertiam silentio prorsus praeterire, & dignis haud ornare praeconiis, nefas reputarem, nisi eadem proprio suo iam corruscaret splendore, & tantilli praeconis suadam longe post se relinqueret.*

§. I.

§. I.

Prodit itaque iam primo breuissima Chronologia & series Regum Daniae a primordiis Christianae Religionis in septentrione hoc nostro circa An. Christi DCCCXXVII. ad CLXXI. supra millesimum deducta; quae quidem parum continet praeter annos & nomina Regum, sed eo minus tamen luce publica videtur indigna, quod eiusmodi scripta, vtut ipsa breuia & manca, non raro momentum veritati indagandae haud exiguum conferant, vt iam memoratus Polyhistor Amplissimus pridem duobus eiusmodi Regum Sueciae Catalogis monument. Eccles. S. Goth. p. 17. & 18. probauit, &, addito etiam tertio pag. 68. vlterius demonstrauit. conf. Prolegom. pag. III. & XVII. Quibus etiam seriem illam Regum Suethicorum, Langfedgatal dictam, quam idem Vir Perillustris in calce notar. ad Vastov. Vitem Aquilon. pag. 81. exhibet, adnumerare licet. Hoc vero nostrum documentum siquidem idem est, cuius b. m. And. Stobbaeus, huius quondam Academiae Professor & Bibliothecarius laudatissimus Dissert. de Antiqua Vrbe Lund. cap. 2. §. 7. meminit; quod ego quidem certo affirmare non ausim, quanquam non adeo absonum videtur, quantiuis pretii facile aequi omnes & ingenui rerum antiquarum aestimatores censebunt. Ille enim vir eruditissimus & in omni historia versatissimus ex *manuscripto*, inquit, *pergameno Capituli quondam Lundensis, nunc Academiae Carolinae procliue foret, ostendere omnem Torfaei lib. 3. cap. 16. de successione Regum Daniae ab Haraldo Moguntiae baptizato ad Suenonem bifurcatae, vel, vt Torfaeus*

*loquitur admorſae barbae, incluſiue laborem periiſſe. Quod manuſcriptum maiorem meretur fidem, eo quod non ab vno aliquo, qui facile memoria labi potuit, compilatum ſit, ſed ſucceſſiue a prima Chriſtianiſmi his in terris introductione, ad tempora Suenonis Gráthe, alius ſcriptor in alius defuncti locum ſuccedens in manuſcripto dicto aetates annotauerit, quod ex diuerſo literarum ductu manifeſtum euadit.* Verum enimuero, quanquam certiſſimum eſt, quod non ab vno homine, ſed a diuerſis haec confecta ſit Chronologia, quoniam in eadem quinque ſtyli differentiae omnibus rite illam inſpicientibus ſatis ſint notabiles; quanquam etiam minime poſſumus negare, illam circa medium ſeculi XI. inceptam & per XII. ad tempora Valdemari I. continuatam eſſe, quod non tantum Characterum adcuratius examen, verum etiam nomina vltimo notata cum primis ibidem collata ſatis euincere videntur; quanquam inſuper multum a reliquis, quas Saxo Gram. Chronicon illud, quod vulgo Erico Pomerano Scandinauiae Regi tribuitur, Torfaeus l. c. aliique tradiderunt, & quas omnes tanquam certas & indubitatas accipere iure recuſamus, haec ſeries recedit, vt vel ideo animaduerſione dignam iudicent eruditi; illam tamen ab omni mendo immunem & penitus ſinceram venditare, ego quidem nequaquam ſuſtineo. Nam vt taceam reliqua, quae de hac Chronologia breui, ſatis quidem multa, dici poſſunt, cum hiſce rebus ſolide diducendis non ſufficerent limites praeſcripti, & Regibus Dynaſtisque iſtorum temporum certum ſucceſſionis ordinem, certos regiminis annos, & certas denique potentiae fines aſſignare, labor maxime arduus

foret & difficillimus, Herculeo quouis non minor, cui noſtros humeros lacertosque prorſus eidem impares non abs re ſubtrahere licet; primo notare iuuat, quod nonnullos omittat, quos communis conſenſus omnium hiſtoricorum Daniae Reges fuiſſe clariſſimos ſimul & potentiſſimos docet: ſic Gormonem Grandaeuum Haraldi Blatandii Parentem, Canutum Diuitem, Suenonis Tiufskeggii filium, & Magnum Bonum, Olaui Sancti Noruegiae Regis filium Canuti Duri ſucceſſorem heic deſideramus, quos vtrum ignorantia & negligentia, an vero potius ſtudio praeterierit Monachus quicunque hoc annotauit, non liquet. Deinde neque hoc reticendum, quod Olauum, Ericum & Canutum quendam inter poſtremos perperam collocet; nam Olauus ille, quem poſt Ericum, Lamb dictum, per biennium regnaſſe aſſerit, qui ſit alius, quam ille Erici aemulus & conſobrinus Olauus Haraldi filius ab eodem aliquot ante ſuum obitum annis praelio deuictus & occiſus, certe non licet diuinare; at non videtur idem, cum hic Olauus alias a nullo ſcriptore in numerum Regum Daniae recipiatur, & imperium quidem affectauerit, ſed nunquam obtinuerit; quid, quod & ipſa ſic noſtri Chronologia heic peccet & ſemetipſam euertat. Nec nobis conſtat quis fuerit ille Ericus, quem poſt hunc ponit & quartum appellat, nouemque annis imperio praefuiſſe notat. Quod ſi Canutus, qui proxime hunc excipit, a Canuto Magni filio, cui cognomen Lauard tribuitur, diuerſus ſit exiſtimandus, quoniam hic vna cum Suenone Grathe & Waldemaro Primo Danos rexit, quare etiam eiusdem nomen infra illud Suenonis eſt annotatum, certe illud quoque ignorare

cogimur.

cogimur. Tandem non dissimulandum puto, quod si attentis & curiosis oculis literarum ductus examinemus, oporteat nos confiteri, antiquiorum Regum, qui inter Haraldum Klack & Suenonem Estrithium hic interiiciuntur, nomina serius esse adscripta, atque, vti videtur, a penultimo Scriptore plerisque reliquis demum superaddita.

## §. II.

Alterum quod sequitur monumentum nihil quidem exhibet praeter nudam & simplicem Episcoporum & Archiepiscoporum Lundensium designationem, qualem Lincopensium antea laudatus, iam ipse eiusdem sedis Reuerendissimus Praesul Dnus Ericvs Benzelivs olim suppeditauit; quam tamen eximio vsui sibi fuisse in Chronico Episc. Lincop. notis illustrando ipse affirmat Prol. p. V. quare etiam non adeo vereor, ne huiusce editio post Clariss. virorum Nicolai Archiepiscopi, Magni Matthiae, Helvaderi, Hvitfeldii, Wolfii aliorumque vulgatos labores multo perfectiores sedulo alicui historiae veritatis indagatori prorsus superuacanea videatur. Quoniam enim facili potest negotio demonstrari, quod codex, qui hoc nostrum documentum suppeditat, a prima Dioeceseos huius constitutione nostraeque ecclesiae fundatione hoc in loco fuerit asseruatus; & quod nomina Episcoporum, Archiepiscoporum, aliorumque dignitate ecclesiastica conspicuorum congregationis Sancti Laurentii Lundensis Canonicorum sint in eodem studiose consignata & illorum successio rite obseruata & commemorata; tanquam certissima norma quaedam, ad quam reliqua huius argumenti iam recensito-

censitorum auctorum scripta sint exigenda & probanda, vtique hic noster Catalogus merito est recipiendus. Sic exempli gratia ex hoc nostro indice discimus Godeboldum & Bernhardum Episcopos, quorum memoriam anniuersariam XII. Kalend. Septembr. celebratam olim fuisse, testantur fasti Necrologici manuscripti membranacei eiusdem Codicis; quorum etiam honorificam mentionem facit Vastouius Vit. Aquil. pag. 24. & 25. vbi hunc circa A. Chr. MXXV, cum Gunichildo seu Grimchildo quodam, illum autem circa A. M. floruisse asserit; non satis adcurate Praesulum Lundensium Catalogo inseri: Quamuis etiam Saxo Gram. hunc Bernhardum Pontificem nominet, & in Hygopaeo Lundensi sepultum esse perhibeat p. m. 189. 190. Cuius rei testem luculentum habemus Adamum Bremensem, qui Hist. Ecclesiast. lib. 2. Cap. 29. 38. & 40. quidem ambos hos Scaniae datos fuisse Episcopali dignitate doctores, verum simul tamen in Suedia, Noruegia & Gothia verbum Dei praedicasse docet; sed inprimis hoc Chorograph. Scandinav. a Messenio edit. p. m. 7. comprobat hisce verbis: *In eadem regione Sconiae nemo adhuc Episcopus fuit incardinatus, nisi quod ab aliis partibus quidam venientes, interdum illam procurabant Dioecesin.* Contra, quem Dahlbyensi Hvitfeldius asserit, Heluaderus ne quidem nominat, Henricum nostrae reddere cogimur Cathedrae, licet ex spurco hoc Epicuri porco & foedo voluptatis mancipio nihil aut decoris aut emolumenti in Ecclesiam potuerit redundare. Nam ex hoc nostro monumento satis manifestum erit, Adamum Bremensem vera prodidisse, dum Henricum primum Lundensem, Eginum autem Dal-

 byensem

byenſem facit Praeſulem a Rege Suenone conſtitutum. Porro in hac flaminum Lundenſium maiorum ſerie obſeruare licet, Erlandum, quem plerique alii ſcriptores Octauum numerant Archiepiſcopum, hic eſſe omiſſum; Hunc autem tantum fuiſſe electum, nunquam vero confirmatum ex hac annotatione marginali ad X. Kalendas Sept. Martyrologii manuſcripti membranacei Bibliothecae conſtat: *Anno MCCXVI. obiit piae memoriae Erlandus huius Eccleſiae Archielectus.* Haec forte cauſa quoque fuit, cur vltimi quinque, qui poſt Birgerum Dioeceſi Scaniae praefuerunt, non ſint annotati; niſi hoc potius tum ingruenti turbulentiſſimae Reipublicae tempeſtati, quae non ante, quam in ipſa Pontificiae ſuperſtitionis abolitione, ſubſtitit, quis adſcribendum exiſtimet. Tandem non poſſumus non de hoc noſtro, quod iam producimus, ſcripto hoc praedicare, quod idem merito rariſſimum & inaeſtimabile Bibliothecae noſtrae κειμήλιον ſit reputandum: ſcilicet, quod codex hic noſter manuſcriptus quoque per totam ſuam molem paſſim probat, quod & omnia iſtorum temporum manu exarata confirmant documenta, id omne vno quaſi intuitu haec tabula curioſorum oculis obiicit. Etenim ex eadem contemplari poſſumus, quomodo literarum ductus per quatuor ſecula varie fuerint immutati; quomodo nitidiſſima pictura degenerauerit in deformem & fere inextricabilem; quomodo denique Characteres cum ſcripti, tum impreſſi, quibus nos vna cum Danis & Germanis tanquam propriis nunc vtimur elementis, originem debeant ſuam Latinis, magis magisque a monachis deprauatis.

§. III.

## §. III.

Tertium in ordine monumentum, quod ex iam antea memorato volumine Pergameno in historiae nostrae ecclesiasticae ornamentum qualecunque & testimonium protrahimus, tale est, vt eiusdem pretium ex his & iis, quae supra diximus, facile aestimetur. Inprimis autem nobis eo dignum fuit visum, quod in lucem publicam prodiret, quod & Collegii huiusce Canonicorum antiquitatem summamque dignitatem celebritatemque manifestet; & Chronicis Episcoporum reliquarum Regni Daniae Dioecesium illustrandis & confirmandis reuera inseruiat. Recenset enim illos ex hoc ordine deuotos fratres, qui diuersis in locis insignia Episcopalia meruerunt. Vnde etiam hic Catalogus secundum sibi vindicat locum ab illo Episcoporum & Archiepiscoporum, ante reliquos tres Canonicorum de monasterio sancti Laurentii, qui in eodem nostro codice sequuntur, Presbyterorum scilicet, Diaconorum & Subdiaconorum. Neque eiusmodi alborum, vtpote quae iure suo in censum tabularum publicarum referri posse videntur, multo minor habenda est fides & auctoritas, quam aliorum actorum publicorum, quae omnes gentes politiores hodie diligenter colligunt & edunt. Quod ad tempus attinet, obseruandum, quod primum nomen heic annotatum cum sit Hubaldi, qui Fionensi sub Nicolao Rege praefuit Dioecesi: ultimum autem Petri Arusiensis Episcopi, qui non potest esse alius, quam Petrus Olai filius, quem circa annum Chr. MCCLXI. sedisse auctor est Nobiliss. Arnoldus Hvitfeldius Chron. Episcop. non difficulter concludimus, hoc monumentum seculum cum IX. fere

 lustris

luſtris comprehendere, & deinceps aut nullos Canonicos noſtrates Pontificali aliarum eccleſiarum fula ornotos fuiſſe, aut monachorum indies otio torpentium negligentiam poſtmodum in culpa fuiſſe, quod hic non ſit continuatus labor.

§. IV.

Tandem etiam nonnulla de annotationibus, quas hiſce monumentis ſubiunximus, praefari operae pretium erit. Et quidem non dubitamus easdem eo magis ſtudioſis rerum hiſtoricarum commendare, quod nihil fere nobis in illis praeter diſpoſitionem & qualemcunque adornationem vindicemus; pleraque autem, quae heic in medium attulimus, duobus codicibus manuſcriptis Bibliothecae Carolinae accepta referamus. Horum alter praeter *diuerſa Patrum de moribus Clericorum ſcripta*, *Regulas Canonicorum a Ludouico, imperatore Romanorum, Caroli Magni filio, Aquisgrani ordinatas*, nec non *conſuetudines Canonicas*, varia continet ad hiſtoriam Eccleſiaſticam horum locorum pertinentia, inter quae maxime memorabiles videntur iam memorati Indices & faſti *Necrologici*, ſiue *Calendarium antiquum*, cui praecipue *defunctorum Anniuerſaria* ſunt inſcripta. Non autem hi faſti, excepta vna alteraue annotatione recentiori manu facta, extenduntur vltra Archiepiſcopi Eſchilli tempora. Antiquior itaque eſt & ſine dubio idem liber, qui dictus fuit *Memoriale Fratrum*, cuius mentio fit in conſtitutione quadam circa fraternitatem, quae noſtris olim fuit cum aliorum Collegiorum monachis, hiſce verbis: *Nomen eius in memoriali fratrum ſcribatur, & miſſa*

*in*

*in ipsius anniuersario nunquam praetermittatur.* Alter vero quoque membranaceus Martyrologium comprehendit, cuius marginalia & reliqua interstitia nouis quasi Diuis destinata, eorum nominibus & meritis sunt repleta, qui hanc ecclesiam vel canonicorum societatem beneficiis affecerunt, & quorum solennia illo die olim celebrabantur iusta. Hunc itaque eundem esse, quem *librum Daticum* Ecclesiae Lundensis appellatum, & iussu Archiepiscopi Ioannis Grandis adornatum fuisse refert Nobiliss. Hvitfeldius Chron. Episc. probatione non indigere videtur, & quidem cuiuis harum rerum perito librumque hunc attentius inspicienti satis manifestum est, ipsum esse verum autographum, de quo loquitur celebris modo nominatus Historicus, cui etiam ipse non leue istius historiae momentum debet. Quo magis debitis praeconiis celebranda est Reuerendiss. Scaniae Praesulis & Academiae Carolinae Procancellarii Dni Doct. IONAE LINNERII h. a. IV. Idus Febr. caelitibus adscripti liberalitas, qui eundem Bibliothecae publicae addixit, atque adeo semel deperditum Ecclesiae nostrae restituit, prout haec frontispicii testatur inscriptio: *Hunc Antiquitatum Ecclesiasticarum librum a Praeposito b. m. Normarchae Vepmanhogensis & Pastore Ecclesiae Kielstrupensis Mag. Michaële Arenkilio sibi ante multos annos donatum, Bibliothecae publicae Academiae Carolinae in sui memoriam bona intentione dicauit Londini S. Goth. die XXII. Octobr. A. MDCCIX. Ionas Linnerius S. Theol. in Acad. Car. Prof. Prim. & Past. Eccles. Cathedr.* Dolendum vero est, incuria hominum temporisque iniuria huiusce non contemnendi Antiquitatum Patriarum

Thesauri haud exiguam iacturam factam esse, quam equidem plurimorum locorum liturae ac lacerae mutilaeque reliquiae testantur.

# MONVMENTA.

## I.

*Breuissima Chronologia & series Regum Daniae Christianorum a prima verae religionis in hoc regno receptione ad Valdemarum I. e codice membranaceo Bibliothecae Academiae Carolinae edita.* (*)

HARALDVS (a) Rex Dacie primus Maguntie baptizazatus est, anno Domini DCCC. XX. VII, regnauit feliciter (b) XX.

ERICVS (c) Rex DCCC. XL. VII. f. r. X.

ERICVS (d) puer Rex DCCC. L. VII. f. r. XL. VII.

FROTHE (e) Rex DCCCC. IIII. f. r. LI.

HARALD (f) Rex, secundus, DCCCC. L. V. f. r. LX.

SVENO (g) Rex M. X. V. f. r. X.

CANVTVS (h) Harthe Rex, M. XX. V. f. r. XIX.

" Nomina Regum Catholicorum in Dania, quorum industria propagata est fides Catholica, qui religionis amore per diuersa loca ecclesias construxerunt, quae regali munificentia donauerunt, quorum apud nos memoria celebris est & manet per secula.

SVENO (i) Magnus Rex, M. XL. IIII. f. r. XXX.

HAROLDVS (k) filius eius Rex, M. LXX. IIII. f. r. VII.

CANVTVS (l) Sanctus frater eius, qui nostram fundauit ecclesiam M. LXXXI. f. r. VI.

OLA-

OLAVVS (m) frater eius Rex, M. LXXX. VII. f. r. VIII.
ERICVS (n) bonus frater eius Rex M. XC. V. f. r. VIII.
M. C. III. vacat regnum ſub cuſtodibus Haraldo filio eius & Domino Aſcero Lundenſi Archiepiſcopo.
NICOLAVS (o) frater eius Rex, M. C. IIII. f. r. XXX.
ERICVS (p) (Emune) Rex ſecundus M. C. XXX. f. r. VII.
ERICVS (q) Lamb Rex, tercius, M. C. XXX. VII. f. r. IX.

Tercio anno Regni eius inſurgit contra eum Olavvs.

OLAVVS (r) Rex, M.C.XXX.IX. f. r. II.
ERICVS (s) Rex Quartus f. r. IX.
CANVTVS (t) Rex f. r. X.
SVENO (u) Rex.
CANVTVS (x).
WALDEMARVS (y).

M. C. XL. XIV. Kalendar. April. feria IV. pro nona factae ſunt tenebrae.
M. C. XL. VI. VI. Kalendar. Decembris feria IV. facta eſt ecclipſis Lunae.
M. C. L. IX. anno Regis Waldemari V. electus eſt ſciſmaticus Victor.
VII. anno Regni eius Eschillvs Lundenſis Archiepiſcopus Ieroſolimam iuit, redit autem XIV.
M. C. L. XXI. H. Dux Saxoniae tradidit filiam ſuam Domino Kanuto Regis Waldemari filio vxorem.

II.

„Nomina Epiſcoporum noſtrorum, qui Sanctae Lundenſi Eccleſiae praefuerunt a tempore SVENONIS REGNI Regis.

HEN-

HENRICVS (*a*) Epiſcopus Primus.
EGINVS (*b*) - - - Secundus.
RICWALVS (*c*) - - - Tertius.

ASCERVS (*d*) Primus
ESKILLVS (*e*) Secundus
ABSALON (*f*) Tertius
ANDREAS (*g*) Quartus
PETRVS (*h*) Quintus
VFFO (*i*) Sextus
IACOBVS (*k*) Septimus
THRVGOTVS (*l*) Octauus
} Archiepiſcopus.

IOHANNES dictus Droës (*m*) Nonus
IOHANNES dictus Grand (*n*) Decimus
ISARNVS (*o*) Vndecimus
ESGERVS (*p*) Duodecimus
KAROLVS (*q*) Decimus tertius
PETRVS (*r*) Ioeneſſon Decimus quartus
IACOBVS (*s*) Byrnſoen Decimus quintus
NICOLAVS (*t*) Ioenſſon Decimus ſextus
} Archiepiſcopus.

MAGNVS (*u*) XVII.
PETRVS Ienſſon (*x*) (XVIII.)
IACOBVS Gerardi (*y*) (XIX.)
PETRVS Kruſe (XX.)
PETRVS Lykke (XXI.)
IOHANNES Laxman (XXII.)
TUVO (XXIII.)
IOHANNES Broſtorp (XXIV.)
BYRGERVS.
} Archiepiſcopus.

III.

"Nomina Canonicorum nostrorum, Episcoporum, qui "per diuersas Ecclesias officium Pontificatus ammini- "strauerunt.

| | |
|---|---|
| HVBALDVS (a) Pheonensis | Episcopus. |
| SVENO (b) Wibergensis | |
| ESCHIL (c) Wibergensis | |
| PETRVS (d) Roscheldensis | |
| RYCCO (e) Roscheldensis | |
| HERIMANNVS (f) Sleswicensis | |
| RICOLFVS (g) Othiniensis | |
| SYMON (h) Othoniensis | |
| PETRVS (i) Roschildensis | |
| IOHANNES (k) Othoniensis | |
| NICOLAVS (l) Sleswicensis | |
| SKAELM (m) Arusiensis | |
| PETRVS (n) Roscheldensis Canonicus noster | |
| PETRVS (o) Arusiensis | |



*Annotationes ad primum.*

(*) Hanc nos inscriptionem addidimus, nam septem illa Regum nomina, quae proxime subsequutur, antiquam rubricam praecedunt, inter huius initium & finem codicis membranacei, Consuetudines Canonicas continentis, interpolata.

(a) *Haraldus)* Primus dicitur, quod illius nominis primus Rex Christianus fuerit. Alias cognomen ab auctoribus illi tribuitur Klag vel Klack, quod quidem ori-

 ginem

ginem voci etiam nunc Gothungis frequenti in vſu imbecillum, inconſtans & molle quid ſignificanti, debere videtur, nec huic inepte inditum, quod victori non ſemel terga dederit, nec bello ſtrenuus, nec religione conſtans exſtiterit. conf. Ad. Brem. Hiſt. Eccleſ. L. I. cap. 15. Saxo. Gram. lib. IX. pag. 170. Hvitf. chr. R. D. T. 1. p. 21. Bering. Flor. Dan. p. 169. an iure ipſi inter Daniae Reges concedatur locus, diſputatur: vide ſis Thorm. Torfaei de ſerie R. D. lib. III. cap. 15.

(b) *Feliciter regnauit)* ſic exponendas eſſe mſcr. literas f. r. opinatus ſum, licet probe ſciam, regimen ipſius minime fuiſſe pacatum & felix, cuius tamen rei nullam habuiſſe rationem Monachum qui haec ſcripſit, teſtantur eaedem literae & ſingula nomina ſine iudicio repetitae.

(c) *Ericus)* Anteceſſoris frater, cuius gratia, ſi lubet, adeas citatos auctores.

(d) *Ericus)* Puer, & vernacula lingua Barn, quod ſolus e regia prole ſuperſtes adhuc infans ſummae maieſtatis faſtigio admoueretur, dicitur; de eiusdem parente, anno fatali, ſucceſſore determinandis non vna eſt & eadem hiſtoricorum ſententia. Euolv. Ad. Brem. Hiſt. lib. I. cap. 40. Eric. Pomer. Chron. No. 64. Erp. Lindenbruch Hiſt. R. D. No. 63. nec non Sax. Gram. lib. IX. p. 177. Sn. Sturl. Chron. Norv. T. I. p. 96. Hvitf. Chron. R. D. T. I. pag. 28. & ſeq. Bering. Flor. Dan. 179.

(e) *Frothe)* an hic recte ſtatuatur proximus Erici pueri ſucceſſor, an ſecus, atque an eidem tam diuturnum imperii tempus vere tribuatur, in vtramque partem ab hiſtoricis diſputatur: Neque vero recte Gormum Haraldi Caerulidentis parentem vtut Chriſtiani nominis infenſiſſimum hoſtem heic praeteriuit noſter, ſiquidem ſibi ſinceram R. D. Chronologiam ſcribere propoſuit. Sed forte eorum tantum recolere voluit

memo-

memoriam, qui illam templorum aedificatione gratam reddiderunt; ceterorum vero potius obliterandam censuit. Interea tamen Nobiliss. Hvitfeldius huic nostro album calculum concedere videtur. conf. Eiusdem Chron. R. D. T. I. p. m. 29. 41. 46.

(f) *Haraldus)* qui heic secundus, alias Caerulidentis (Blaatand) cognomine distinguitur. Princeps religione, probitate, rerum vicissitudine, potentia & longaeuitate admodum conspicuus, quem Caesaris seu Imperatoris titulo vsum fuisse testatur cippus Iellingensis Parentibus positus. vid. Steph. Not. ad Sax. Gram. p. m. 203.

(g) *Sueno)* alias etiam Suenotto dictus, sed cognomine Tiufskaegg, seu bifurcatae barbae magis adhuc celebratus, varia fortuna illustris Rex, cryptam seu Hypogaeum Lundense condidit, Hvitfeldio teste Chron. Episc. p. 44. fuisse tamen heic illo ipso antiquiores aedes sacras vel ex hoc Fast. Necr. loco ad III. idus Ianuarii satis est manifestum: *anno ab incarnatione Domini M. C. XXXI. incipiente indictione VIIII. dedicatum est altare dextrum in crypta a venerabili Ascero sanctae Lundensis Ecclesiae Archiepiscopo in honore S. Blasii Martyris, & S. Aegidii confessoris, continentur in ea reliquiae S. Viti Mris & S. Virginum de XI. Mille, & aliorum multorum venerabiles reliquiae de altari veteris Monasterii translatae, quorum nomina soli Deo cognita sunt.*

(h) *Canutus)* vix dubio caret, scriptorem nostrum hic confudisse Patrem & filium, Canutum puta diuitem, qui & Gamleknut siue senior & Magnus appellatur, cum Duro.

(i) *Sueno)* Vlfonis Suethiae Magnatis & Esthrithae Canuti Magni sororis filius, vnde passim Esthritius audit. Magnus quoque dicitur in primis propter merita in Ecclesiam eiusque Ministros, & notandum quod absolute & κατ' ἐξοχὴν *Magnus Rex* in literis dotationis

Ecclesiae S. Laurentii salutetur; alias suis antecessoribus nec potentior, neque felicior, nec fortior, quanquam & ipse magnificus, & inclutus Rex fuit. Huius memoriam ad IV. Kalendas Maii celebrant Fasti Necrolog: *Anniuersaria Suenonis Magni, Regis Christianissimi, cuius industria Dania in octo Episcopatus diuisa est. Ipse primus Dalbyensem Ecclesiam aedificauit. Huic nostrae Ecclesiae duos mansus & dimidium dedit. Arnadal vnum, Rutharumi alterum, Thorni dimidium.* Praeter Historiographos Danicos lege, si placuerit, quae habet Vastov. vitis Aquilon. p. 38. cum annot. Reuerend. Dni Doct. ERICI BENZELII p. 32. & 78. Eiusdemque Monum. p. 45.

(k) *Haroldus)* varie hoc nomen a Scriptoribus medii aeui scribitur, prout e Notis Stephanii ad Sax. Gram. p. 192. constat. Stupiditate sua & inertia hic cognomen Hein, quod cotem mollem & inutilem significat, meruit. Obiter hic obseruandum Cl. Stephanium minus recte notasse Aelnothum, cum iuxta hoc monumentum ille veritati acccesserit propius, atque Saxo, qui huius Haraldi regimini solum adscribit biennium vid. eiusd. Notae iam citatae p. 220. Fasti nostri Necrol. ad XV. Calendas Maii haec habent verba: *ANNIVERS. Haroldi Regis Danorum.*

(l) *Canutus)* Nomen hoc ante ipsius Regis Canuti Sancti apotheosin vix in vsu fuit; verum dicti sunt Knut, Cnut & Chnut, vti demonstrant auctores varii, nec non nummi Canuti Diuitis & Duri; sed in primis hoc de nostro euincit diploma dotatorium modo citatum, vbi Cnuto quartus dicitur, itemque sigillum, cuius meminit Hvitfeldius Chron. Episc. p. 49. Quod autem Quartus scribatur, respicit sine dubio Lodne Knut, siue Canutum hirsutum hic omissum & inter Ericum Puerum & Frondium ponendum, tanquam primum illius nominis Daniae Regem. Quod si memo-

rabilem

rabilem huiusce nominis originem scire velis; consule Snor. Sturlaei Chron. Norv. a Nobiss. Perings. edit. T. I. p. 223. Martyrium pii huius Regis ad IV. Idus Iulii commemorat martyrologium nostrum manuscriptum hoc modo: *Anno ab incarnatione Domini MLXXXVI. occisus est Rex Canutus, vir Christianissimus, qui inter cetera suae liberalitatis beneficia ecclesiam hanc a fundamentis leuauit & regali munificentia donauit. Hic idem in fide & timore Dei perfectus, religione deuotus, pauperes alebat, nudos vestiebat, orphanorum pater; defensor viduarum, & patronus aduenarum ab omni eos iniuria defendebat. Omnes omnino quos poterat ad cultum religionis & iustitiae conuertebat. Cumque pro his & huiusmodi diu ab incolis terrae persecutiones & regni detrimenta sustinuisset, ad vltimum, pene omnibus in necem religiosi principis conspirantibus, Rex pius Sanctorum informatus exemplis ad auctorem pacis, animum iterque direxit, & sese cum paucis intra Othoniensis Ecclesiae septa recepit. Tum vero oculis & mente in coelum intentus, arma deponit & viuifice Communionis Sacramento munitus flexis genibus suam suorumque animas, Saluatori fideliter commendauit, atque ita solo tenus toto prostratus corpore extensis manibus in crucem transfixus cuspide in dextro latere coeleste regnum pro terreno Rex & martyr promeruit. Sepultus est in eodem loco, vbi meritis eius beneficia praestantur petentibus ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi.* Ex iis, quae allata sunt, satis euidens erit, Martyrologium Romanum a Baronio editum confundere Historiam huius & Canuti Ducis & Regis Obotritorum, cuius solennem memoriam ad VII. Idus Ianuarii hisce verbis indicant Fasti Necrol. *Anno Domini M. C. XXXI. Indict. IX. Gloriosus rex Sclauorum Canutus Erici filius occisus.* Perperam etiam, ad annum M. LXXX. vtramque referre. Denique in Historiae illustrationem

 heic

heic non incongrue, vt ſperamus, inſerimus ſupra citatum Diploma Dotatorium a pio hoc Rege factum Baſilicae S. Laurentii Lundenſi, ex eodem Codice Manuſcripto: *In Nomine Sanctae & Indiuiduae Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Notum omnibus in Christo fidelibus eſſe cupimus, qualiter Ego Cnuto quartus, Magni Regis filius, poſt ſuſceptum paternae haereditatis Regnum Eccleſiam Sancti Laurentii, quae ſita eſt Lundae, licet nondum perfectam, dotaui, vt illius agni, qui tollit peccata mundi, ſit perpetua ſponſa, ſancta ſancti, immaculata immaculati, digna digni. Deſponſale autem huius Eccleſiae quid & quale ſit patefecimus, & ſub his teſtibus Ricwalo, Suenone, Siwardo Epiſcopis, Haquino Duce, Presbyteris Arnoldo, Theodorico, Heinrico, Godeſcalco, Stabulariis Allone, Haquino, Petro, Suenone, Aſcero Akonis filio, Deo Praeſide, ratum & aeternaliter ſtabilitum deſideramus. Eſt igitur terra illa, quam OEpi filius Thorbiorn in Lunde pro pace ſua emendauit. In Upaccri auſtrali quatuor manſi & dimidius. In altero Upaccri totidem manſi. In Herueſtadum octo manſi. In Scialshoge duo manſi. In Flatoige quinque manſi & dimidius, quem dedit Hacon Regi. In Hildeshoge dimidius. In Haſtathum vnus manſus. In Scaefteliungum dimidius manſus. In Seueſtathum dimidius manſus, quem perſoluebat pro pace ſua Scora & dimidius manſus in Karlabuy, quem dedit idem Scora Regi, pro pace ſua. In Bruneslef dimidius, quem ſoluebat Rex a Thurgislu filio Gunſtens. Aguthisbo in Sandby vnus manſus. In Selandia in Ramſcherathi Oem duo manſi. In Semaherathi Tiarby duo manſi. In Tunaherathi Winningawe duo manſi. In Hornsherathi Sculdalef vnus manſus. In Othenſe vnus manſus. In Smoerhem minore duo manſi. In Liunga herathi Broeſtingarythi duo manſi. In Virlunda herathi Tollathorp vnus manſus. In Seenkilſio vnus manſus. In inſula Amacum*

*Sunaby*

*Sunaby occidentali quinque mansi. In Brundby tres mansi. De annuali pecunia, quae datur pro areis in Lumaby tres marcae. De areis Lunde XX. marcae & I. Si quis praepotens nobilis vel ignobilis, natus vel non natus contumaci inflatus audacia contra Sanctae religionis propositum huius pacti decretum violare studuerit, sit anathema maranatha; sit supplicio deputatus aeterno, vbi vermis non moritur & ignis non exstinguitur; fiat mensa eius coram ipso in laqueum, & in retributiones & in scandalum, cum eis, qui dixerunt Domino DEO, recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. Quod auten ad regiam pertinet iustitiam ex quacunque caussa fiat de praenominata terra, in potestate sit Praepositi & ceterorum Fratrum in hoc loco DEO seruientium — — — — — — — — Si extra pacem positus fuerit quis, illum excommunicet, & substantiam eius tollat praepositus & fratres, Si expeditionem neglexerit, erga — — — — emendet — — — — — — — — — — — — — — Actum Lundae XII. Kalend. Iunii Indictione nona, Incarnationis Dominicae Millesimo octogesimo quinto, Regni autem Domini Cnutonis anno quinto, praedictis Episcopis praesentibus & confirmantibus, auctore Domino nostro IEsu Christo, qui est benedictus in secula seculorum, Amen.*

(m) *Olavus)* Hunger, siue famelicus dictus fuit ob famem dirissimam, ipso regnante per plures annos Daniam infestantem. Quamuis eius nomen in Fastis nostris frustra quaeri deberet, quod reus nefandi parricidii vulgo haberetur, adscriptum tamen XV. Kalend. Sept. legimus: *Olavus Rex Danorum obiit anno incarnationis Domini M. XC. V.*

(n) *Ericus)* Bonus dictus, & vulgo Eyegod cognomine celebratus, tum propter clementiam & probitatem, cum propter annonam illius tempore feliciorem, rursus incolas exhilarantem. Religionis ergo terram

sanctam

ſanctam adiit, vnde rediens in Cypro extremum obiit diem, atque ibidem ſepultus eſt: Faſti Necrolog. ad VI. Idus Iulii haec tantum habent: *Eodem die*, quo ſcil. Martyrium perpeſſus eſt Canutus Rex, *obiit Ericus Rex Danorum, vir prudens & ſtrenuus, qui ſua induſtria a Paſchale Papa palleum impetrauit noſtrae eccleſiae, & quartam partem ciuitatis Sancto Laurentio dedit.* Et in alio loco eiusdem codicis, vbi Praebendi deſcribuntur: *Similiter Rex Ericus vir Catholicus fratrem in omnibus emulari ſtudens, inter cetera, quae huic eccleſiae contulit, etiam Capellam Sanctae Mariae in foro cum omnibus attinentiis Praepoſito pertinere fecit. In villa Swalleue IV. manſi; Burgaby III manſi; Graefhoegi III manſi; Arleve II manſi; Goeterslef manſus. Achatorpi manſus dimidius.*

(o) *Nicolaus)* de illo in Faſtis noſtris legitur ad VII. Kalendas Iulii: *Nicolaus Rex Danorum cum ſuis occiſus eſt Anno Domini M. C. XXXIV. indictione XII.* Iidem vxoris eiusdem gratam commemorationem ad II. Nonas Nouembris his verbis praecipiunt: *eodem die Margareta Danorum Regina obiit, quae dedit Sancto Laurentio calicem aureum electro & gemmis adornatum.*

(p) *Ericus)* qui heic ſecundus, aliis tertius numeratur; magis vero eo celebratur, quod feliciter pro cognomine Harefod ob fugam celerem, qua ſaluti ſaepius antea conſuluerat indito, illud Emund inſigni victoria potitus, quod ſecundum Helmoldum Chron. Sclauorum lib. I. cap. 51. virum memorabilem ſignificat, acceperit. Faſti noſtri ad XIV. Kalend. Octobris eius memoriam inculcant: *Ericus Rex Danorum Glorioſus occiſus eſt anno Domini M. C. XXXVII. Indictione XV. qui pro gratiarum actione DEO & Sancto Laurentio vnam praebendam conſtituit.*

(q) *Ericus)* Alias quartus, hic tertius in ordine memoratur, & ob manſuetudinem & probitatem Lamb & Spak dicitur,

dicitur, cucullum pro diademate tandem elegit, & febre correptus in eodem obdormiuit. In Fastis Necrol. annotatum extat ad VI. Kalendas Sept. *Item Hericus Rex Danorum tertius obiit.*

(r) *Olavus)* hic Haraldi, cui cognomen Kaesie obtigit, filius ab aliis Regum numero non adscriptus, ob impietatem male audit, & Malus. In veteri enim Chronologia a Reuerendissimo BENZELIO edita Monum. p. 14. cognominatur Hung, quod nomen a Scanica pronunciatione vocum ond vel Hund enatum, & ob malitiam & crudelitatem eidem inditum esse non dubitamus. Etiam hunc pro more recepto feliciter regnasse notat noster; verum qui feliciter & bene rem gessisset e Chronico Erici Pomerani ad annum 1142 patet. Ab Erico Fultoftensi praelio deuictus occubuit. Quod autem excommunicatus obiuerit, nulla eiusdem in Fastis Lundensibus occurrit mentio. Praedicta autem Chronologia illum anno M. C. XLIII. interfectum docet.

(s) *Ericus)* Hic qui nostro est quartus omnino idem est, quem mox antea memorauit noster, & tertium dixit, nimirum Ericus Lamb, imprudenter hic repetitus.

(t) *Canutus)* Neque hic alius esse potest, quam qui mox subsequitur, Magni I. S. R. filius, Nicolai Regis Daniae Nepos, antea Laward siue κατ' ἐξοχὴν Dominus dictus, qua quidem voce paululum detorta Angli hodie adhuc vtuntur; Qui tamen titulus Canuto Sancto Ringstadiensi a nonnullis quoque tribuitur; fuisse vero etiam aliis Principibus a Regum stemmate ortis vsitatum, exemplum suppeditat Ionae Rami Norueg. antiq. pag. 86; vbi Sigvardus Lavard Sveri R. N. filius nominatur. Ceterum in Regum serie illo nomine quintus numeratur. Vna cum Waldemaro & Svenone regnauit, a quo etiam insidiose est necatus. Hoc factum V. Idus Augusti Fasti Necrol. indigitant

H hunc

hunc in modum: *Eodem die occisus est Kanitus Rex filius Magni.* Sed annus non est adnotatus.

(u) *Sueno)* tertius, alias *Grathe*, *Grathebede*, *Grathemose*, a loco vbi interiit cognominatus. Huius emortualem Fasti Lundenses ita produnt: *X. Kalend. Nov. occisus est Sueno (Grathe) Rex Herici filius cum multa strage suorum.*

(x) *Canutus)* quod perperam hic repetitus sit, iam fuit notatum.

(y) *Waldemarus)* filius Canuti Regis Obotritorum, cuius & consecrationem ipse procurauit. Princeps erat pietate & felicitate inclutus, qui insidiis, quas illi struxerat Sueno Rex aemulus, elapsus hunc suum hostem fortiter persecutus est, aperto marte vicit & peremit. Et ad testificandum gratum erga DEVM O. M. animum Vitaescholam fundauit. Martyrologio Lundensi Msr. ad IV. Idus Maii, eadem manu, quae heic in altero codice nomen eius adnotauit, adscriptum legimus: *Item obiit Waldemarus primus Danorum Rex gloriosissimus.*

## *Ad II. Monumentum.*

(*a*) *Henricus)* Fasti Necrol. haec habent: *XII. Kalend. Sept. Commemoratio Godeboldi & Barnhardi Episcoporum, & Henrici, qui fuit primus nostrae Ecclesiae Episcopus.*

(*b*) *Eginus)* emortualem pii huius Praesulis ita produnt iidem Fasti *XIV. Kalend. Nov. obiit Eginus huius ecclesiae Episcopus secundus.*

(*c*) *Ricwalus)* Ad VII. Kalend. Iunii anniuersaria huius in Fastis nostris praecipiuntur hisce verbis: *Anniuers. Ricwali felicis memoriae, qui fuit tertius nostrae ecclesiae Episcopus.*

(*d*) *Ascerus)* De eius patre in Fastis Necrol. haec exstant.

*XII.*

*XII. Kalend. Iulii Anniuersarius Throkils patris Asceri, venerabilis Archiepiscopi qui dictus est Suen Trugunnu sun.* Matris vero nomen iidem conseruant ad XI. Kalend. Decembris: *Anniuersarius Ingu matris venerabilis Asceri Danorum primi Archiepiscopi.* Infulam nactus est iuxta hoc ex iisdem depromptum testimonium: *XIV. Calendae Dec. octauae Sancti Martini: ordinatio Venerabilis Asceri Lundensis Archiepiscopi anno Dominicae incarnationis M. L. XXX. VIIII.* Chronologia, quam publicae luci exposuit Reuerendiss. Episc. ERICVS BENZELIVS monum. p. 81. habet annum M. C. III. cui etiam assensum praebet Chron. E. P. Quo anno mortuus est, non indicat noster codex, sed tantum diem: *III. Nonae Maii. Ipso die obiit Dominus Ascerus huius ecclesiae fundator & primus in hac sede Archiepiscopus.* Manifesta quidem adulatione inter titulos eius heic ponitur: *ecclesiae huius fundator*; respicere tamen videtur, cum, quod sub illo Archiepiscopali dignitate fuerit primum insignita haec sedes; tum quod tria primaria in Crypta altaria dedicauerit & Sanctis reliquiis, prout vana illius Seculi religio, vel potius superstitio crediderat, mirifice beauerit. Factum hoc esse A. M. C. XXIII. pridie Kalend. Iulii, M. C. XXVI. XI. Kalend. August., & M. C. XXXI. III. Idus Ianuarii fasti nostri perhibent, simulque indicem satis longum sacrarum mercium heic conditarum exhibent; memorabilia scilicet, sed quae piget exscribere.

(e) *Eskillus)* cognomine Grothe, primo eligitur Praepositus Lundensis, tum Episcopus Roskeldensis, tandemque in Archiepiscopali infula patrui successor. At deinceps constitutis Archiepiscopis Iohanne Nidrosiae, & Stephano Vpsaliae, atque sic diminuta iurisdictione titulis auctior euadit, Metropolitanus, Suethiae Primas & Apostolicae sedis Legatus a Pontifice Romano

 denum-

denunciatur. Praeſulem fuiſſe pietate, religione & liberalitate nemini ſecundum, tot monaſteria ab ipſo fundata & bonis ſuis locupletata adhuc loquuntur. Regibus ſuſpectus & inuiſus, curis, turbis & iniuriis defatigatus ſacro ſe abdicauit magiſtratu. Galliam petiit & in coenobio Clareuallenſi factus monachus conceſſit. De ipſius morte haec tantum habet martyrologium Lundenſe ad VIII. Idus Septembris: *obiit vir Vitae venerabilis dominus Eſchillus huius ſedis ſecundus Archiepiſcopus, qui inter cetera munificentiae ſuae dona, decimas de terris praebendarum, beneficiorum ac manſionum eorundem Canonicis Lundenſibus contulit perpetuo poſſidendas.* De Parente autem eius haec ibidem leguntur ad XIII. Kalendas Iunii: *obierunt Aſa ſoror & Chriſtiarn pater Dni archiepiſcopi Eſchilli &c.* Hoc Archiepiſcopo peractam eſſe Eccleſiae noſtrae Cathedralis dedicationem perhibent alteri faſti Necrologici hunc in modum: *Anno ab incarnatione Domini M. C. XL. V. indictione VIII. dedicata eſt maior eccleſia in ciuitate Lundenſi, quae eſt Metropolis Daniae in Kalendis Sept. a venerabili Eſchillo Danorum Archiepiſcopo adſtantibus ſimul & auxiliantibus Herimanno Sleswicenſi* (illuſt. Hvitfeldius mentionem quoque facit Aſceri Epiſcopi Roſkeldenſis) *Giſlone Oeſtgociae, Oethgrimo Veſtgociae Epiſcopis, in honore beatae Mariae perpetuae virginis & Sancti Laurentii eximii martyris. Ipſe enim praefatus Pontifex per ſe ipſum maius altare dedicauit & Sanctorum reliquiis, quorum nomina infra ſcripta ſunt, decorauit &c. Altare autem dextrum in eadem Eccleſia dedicauit Dnus Giſlo Liungacopenſis (Oeſtgociae) Epiſcopus eodem die & anno in honore Sanctorum martirum Vincentii & Albani; impoſitis eorum reliquiis & aliorum &c. Anno incarnationis Dominicae M. C. XL. VI. Indictione VIIII. In Kalendis Sept. dedicatum eſt altare ſiniſtrum eiusdem eccleſiae a Venerabili*

*rabili Escillo Lundensi archiepiscopo in honore Sancti Stephani protomartyris & Sancti Mauritii Martyris; continentur in eo reliquiae Sanctorum &c.*

(f) *Absalon)* cognomine Hwid; de vtroque eius nomine fuse & erudite differit Cl. O. Sperlingius in notis ad Testamentum Dni Absalonis Archiepiscopi Lundensis p. 22. & seq. Praeclare gesta commemorant Historici Saxo Gram. Praef. & lib. 14. 15. 16. passim. Hvitf. Chron. R D. p. 108. & Episc. p. 55. Helmold. & Arnold. Chron. Slavor. lib. 2. cap. 12. 3. cap. 5. Messen. Scond. Illust. Tom. II. Geneal. Arch. Absolonis a Martino Person descripta, & alii. Nummos ipsius Absolonis effigiem exhibentes describit Mus. Reg. Dan. Part. II. Sect. V. ad Tab. XXV. No. 30 & 31. Effigies eiusdem quoque Achati insculpta ibidem reperitur part. II. Sect. III. Tab. I. No. 10. Martyrologium Lundense ad XII. Kalendas April. ipsius memoriam his verbis celebrat: *Anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo primo obiit Absalon archiepiscopus, qui hanc ecclesiam multis decorauit ornamentis videlicet duabus coronis & gemina cruce, calicibus, campanis, Sanctorum reliquiis, libris diuersis, pontificalibus indumentis, & duas mansiones Esperuth & Saxethorp in memoriam sui fratribus ad communem mensam reliquit: Hic tertius huius loci extitit Archiepiscopus.* Conf. Ipsius testamentum.

(g) *Andreas)* De hoc exstat in saepius citato martyrologio eiusmodi distichon manu recentiori adscriptum:

*M. semel, XX duplex, duo CC, semel V, iota triplex.*
*Dat annos Christi, post quos bone Praesul obisti.*

Deinde haec sequuntur: *Anno ab incarnatione Domini M. CC. XX. VIII. in natiuitate S. Iohannis Baptiste obiit Dominus Andreas Lundensis Archiepiscopus quartus, qui diuinis & secularibus literis efficaciter imbutus Ecclesiae DEI verbo & exemplo laudabiliter praefuit & profuit. Hic inter alia suae liberalitatis opera decimas & caussas*

 *Episco-*

*Episcopales praebendarum ecclesiae Canonicis & eorum mensae in perpetuum attinere constituit. Duas etiam praebendas Diaconales in Ecclesia Lundensi de nundinarum Scaniensium ecclesiis instituit. Ad mensam vero fratrum duas mansiones, vnam in Stangby aliam in Groefboebae orientali cum omnibus attinentiis earum. Decimam quoque de Parochia Aewerthe liberaliter assignauit, vtramque etiam festiuitatem Beate virginis, scil. Assumptionis & natiuitatis solito sollemnius a Canonicis celebrari dispofuit. Medietatem quoque obuentionum que fiunt in memoriam felicis mulieris Magnildis; nec non medietatem nummorum, qui superfuerint LX marcis de Haeningns haeraedh fratribus iure perpetuo contulit. Decaniam quoque Lundensem de debito insulari in X. marcis denariorum ampliauit. Ecclesiam etiam S. Marie Lundis versus orientem cum V mansis eidem attinentibus, quorum duo sunt in Raby maiore tertius Westerstatha occidentali, quartus in Biarbusa, dimidius in Hiatorp, & dimidius in Thorni orientali; Praesente sedis Apostolice legato Domino Gregorio mense fratrum in perpetuum apposuit. Ad decorum domus DEI VI. cappas Chorales & pixidem Crystallinam in qua pars costae gloriosi martyris Laurentii continetur honorifice donauit. Haec autem omnia solita incolumitate vigens fecit. Praeterea suum videns obitum imminere, quae subsequuntur fratribus reliquit: scilicet capsulam argenteam cum reliquiis exquisito factam artificio; Ymagines quoque trium magorum cum coronulis aureis; Dalmaticam etiam & subtile, quibus vti solebat in celebratione missae. His omnibus pretiosum superaddidit thesaurum, scilicet libros tam veteris quam noui testamenti, & plurimos, qui ex istis ducunt originem, sicut patet in sequentibus: Bibliam in tribus partibus. Ewangelistas glosatos; Epistolas Pauli de maiori glosatura; Unum ex quatuor; Pentathecum bene glosatum & bene correctum; Ieremiam*

*bene*

*bene glosatum. Sententias bene correctas ; Scolasticam hystoriam ; Psalterium glosatum in duabus partibus ; exceptiones de moralibus Iob ; Allegorias & moralitates super vetus & nouum testamentum in vno volumine ; Lumbardum in ecclesia inuentum ; & libellum Stephani Abbatis de S. Genowefa ; duplices glosas super cantica canticorum ; Glosas super Apocalipsi ; summam visionis & septem libros Legum, insuper & alios libellos : Corpus Canonum librum honestum & multum vtilem ; Missalem valde bonum & bene correctum, quem in sua capella habebat. Insuper etiam XXIV. marcas argenti in morte sua fratribus erogauit. Preter hec omnia crebras innatae sibi liberalitatis munificencias non solum cunctis fratribus simul, sed cuilibet singillatim per se paterno frequenter impertiuit affectu.* Hic Pontifex apud quosdam in Catalogum Sanctorum venit, vti patet e Messen: Scondiae illustr. Tom. 9. lib. 2. cap. 21.

(*h*) *Petrus)* hoc nomine primus frater Andreae Archiepiscopi, an Saxonis Grammatici filius fuerit, disputatur. Martyrologium praedictum haec in margine ad V. Idus Iulii exhibet: „*Anno M. CC. XX. VIII. obiit Dn. Petrus huius Ecclesiae quintus Archiepiscopus qui ad memoriam sui reliquit fratribus mansionem ad mensam - - - cum omnibus attinentiis.*

(*i*) *Uffo)* Illustris Hvitfeldius hoc nomen ab illo Christophori detortum esse putat, verum potius conuenire videtur cum eo, quod hodie Ofve effertur. Chronicon, quod edidit Nobiliss. Nettelblad Vffonem hunc Volpium cognominatum fuisse prodit Schwed. Bibliot. P. 3. p. 188. Huius Archimystae anniuersaria quondam celebrauerunt Monachi ad XVIII. Kalendas Ianuarii, quod ex hac martyrologii annotatione patet: *Anno ab incarnatione Dni M. CC. L. II. obiit pie recordationis Vffo, huius loci archiepiscopus Sextus, qui inter cetera sue munificentie dona terram in Sandby valentem annuatim*

*annuatim duas marcas denariorum &c.* Matris eiusdem meminit idem liber manuſcriptus hoc modo ad V. Idus Iulii: *obiit Domina Arina mater Domini Archiepiſcopi Vffonis ad cuius anniuerſarium celebrandum ipſe Dominus Archiepiſcopus manſionem de Caſtlaeſac cum molendino ſibi attinente fratribus contulit.* Patris etiam memoriam hoc modo ad XVII Kalendas februarii conſeruat: *obiit Thrugotus pater Dni Archiepiſcopi Vffonis.* Matris illius nomen in memoriam reuocat, quae circa idem hallucinatus eſt Cl. Sperlingius in ſuis ad Teſt. Arch. Abſ. notis p. 104.

(*k*) *Iacobus)* Primus fuit hoc nomine Archiepiſcopus, cuius patrem Erlandum ſeſe *de Elinge* & *Alvatorp* ſcripſiſſe diſcimus e Catalogo Praeſulum & Pontificum Lundenſium a Cl. Nettelb. edito iam ante citato; matrem vero, Cerillam nomine, Archiepiſcopi Andreae e ſorore neptem fuiſſe auctor eſt illuſtris Hvitfeldius Chron. Epiſc. p. 60. qui & fratrum Andreae Boringiae praefecti & Nicolai ſatrapae Regii Scaniae, qui tunc temporis, Maior Baro Terrae ſalutabatur, meminit. Emortualem eius Martyrologium refert ad XII. Kalend. Martii his verbis: *Anno Dni M. CC. LXX. IV. obiit pie recordationis Iacobus huius loci Archiepiſcopus ſeptimus.* Vetus appendix ad Saxonem Grammat. habet annum MCCLXV. vid. Rev. Dni BENZELII monum. p. 149.

(*l*) *Thrugotus)* huius nomen exprimunt Helvaderus & Hvitfeldius per Trugels Toſteſon; magis tamen nobis conuenire videtur cum nomine Trued vulgo adhuc vſitato. In martyrologio noſtro haec occurrunt ad VI nonas Maii: *Anno Dni M. CC. LXXX. obiit venerabilis Pater Dominus Thrugotus huius eccleſiae archiepiſcopus octauus, qui dedit terram, quam emit de Nicolao Plogpenning in Gioeterſlef &c.*

(*m*) *Iohannes dictus Droes)* hoc nomine primus, de quo haec e martyrologio noſtro afferre licet, ad IV. Kalendas Febr. annotata: *A. Dni M. CC. L. XXX. IX. obiit Dominus Iohan-*

*Iohannes pie memorie huius ecclesiae Archiepiscopus nonus, qui contulit ad anniuersarium suum bona sua omnia in Knaesthorp, ita tamen, quod vna marca pauperibus Scolaribus erogetur & aliis.* Ibidem ad IV. Kalendas Aprilis: *Item obiit Domina Gaericae mater Archiepiscopi Iohannis Dros, cuius anniuersarius seruari debet de bonis in Knæstorp.*

(*n*) *Iohannes dictus Grand)* siue secundus, cuius emortualem ad III. Kalendas Iunii refert codex noster: *A. Dni. M. CCC. XX. VI. obiit venerabilis Pater Dominus Iohannes dictus Grand Archiepiscopus Lundensis decimus.* Vitae eius curriculum si velis, adeas Illust. Hvitf. Chron. Episc. p. 63. item ad calcem huius tomi adnexam particularem illius Pontificis Historiam; vetus ad Sax. Gram. appendix in monument. Reuerendiss. BENZELII pag. 152. &c.

(*o*) *Isarnus)* ad XIV. Kalend. Nouemb. mortuum esse, Ao. M. CC.C X. narrat. Hvitfeldius Chron. Episc. p. 68 Catalogus Praesulum & Pont. Lund. Nettelb. in Hypogaeo Lundensi sepultum esse vult; verum nihil de illo nostra monumenta perhibent.

(*p*) *Esgerus)* ex illustri Iuliorum in Dania stemmate ortus; de quo haec tantum in martyrologio nostro legi possunt verba ad XVI. Kal. Februarii: *venerabilis Pater Esgerus huius Ecclesiae Archiepiscopus - - - qui dedit capitulo. - -*

(*q*) *Karolus)* hunc cognomento Ruffum dictum fuisse alii tradunt Historici; Codex iam saepius nominatus ad XVII. Kalend. Iunii hanc annotationem affert: *Ao. Dni M. CCC. XXXIV obiit venerabilis Pater Dnus Karolus Lundensis ecclesiae Archiepiscopus tertius decimus, qui construxit Capellam pulcram & ornatam — — ab ecclesia in qua requiescit, cuius Personam tenebit anniuersarium suum — — cum vigiliis & missa &c.*

(*r*) *Petrus)* II. hoc nomine, antea Decanus Lundensis, cuius mentio fit in memorato libro membranaceo ad D. IIX Kal. Maii *A. Dni M. CCCVLII. obiit venerabilis Pater Dominus Petrus Lundensis Archiepiscopus quartus decimus Sweciae Primas.*

 (*s*) *Ia-*

(s) *Iacobus*) Huic in noſtro Catalogo adſcriptum eſt Byrnſoen, verum in illo quem publici iuris fecit Conſultiſſ. Nettelblad Nicolai filius perhibetur, cui etiam aſſentitur Hvitfeldii Chron. Epiſc. p. m. 75. quod vlterius confirmatur annotatione quadam marginali Martyrologii ad IV. Kalendas Februarii: *Hic tenebitur anniuerſarium Iacobi Niclaeſſon Archiepiſcopi.*

(t) *Nicolaus*) ad V. Idus Febr. in Martyrol. mſ. adnotatum eſt: *Anno Domini M. CCC. LXXX. die iſto obiit venerabilis pater Dominus Nicholaus Archiepiſcopus Lundenſis Sweciae Primas & Legatus ſedis Apoſtolicae, qui dedit ad menſam archiepiſcopalem omnia ſua bona in Luddae Kiaepinghe ſita, quae iuſto emtionis tytulo habuit de Dno Petro Kyrning milite & Petro Spaldanaer & monialibus Lundenſibus conditione tali adiecta, quod Dnus Archiepiſcopus Lundenſis, quicunque fuerit pro tempore debet dare Canonicis vnum Pund Sterlingorum omni anno diuidendum inter Canonicos praeſentes in Choro, vicarios, pauperes Scolares, & alios pro miſſis inferius in eccleſia, ac pulſantibus in turri, ſecundum ordinationem Capituli; in quibus onerauit conſcientias ſuorum ſucceſſorum in perpetuum.*

(u) *Magnus*) in eodem noſtro Codice ad VIII. Iunii haec exſtant ad VI. Idus Martii transferenda: *Anniuerſarium primum Reuerendi Patris Domini Magni Archiepiſcopi Lundenſis decimi ſeptimi, natione Lalandenſis tenebit fabrica de quadam curia in Malmoeghe in qua eſt domus lapidea, quam adhuc Decanus exiſtens cum pecunia ſua emit a quodam Vwaro Nicleſſen & vxore ſua Greta; hoc modo quod Canonici, qui interfuerint, vt moris eſt, habebunt II ſolidos groſſorum; Vicarii VIII groſſos; celebrantes inferius XII miſſa V ſolidos Lubycenſes; Scolares miniſtrantes ad miſſas I. ſolidum Lubycenſem; Pauperes Scolares & alii VIII. groſſos; Pulſantes in turri II. groſſos. Qui obiit anno Dni M. CCC.* addendi ſunt ſine dubio XC. Ad Nonas Octobris deinde in iisdem faſtis legitur: *Anniuerſarium ſecundum reuerendi Patris Domini Magni Archiepiſcopi Lundenſis XVII. & Parentum ſuorum.* Cetera

quae

quae sequuntur cum praecedentibus conueniunt. Hic Pontifex S. Magnildis cuiusdam reliquias, cuius nomen frustra in Martyrologio Romano quaeritur, Lundam nostram transferri curauit, commemorante Illustr. Hvitfeldio in Chron. Episc. cuius rei fidem faciunt quoque eiusdem Archiepiscopi litterae a Reuerendiss. Gothoburgensium Praesule D. D. IAC. BENZELIO mihi benigne communicatae; quas in documentum superstitionis barbari istius seculi, nec non testimonium qualecunque, Scaniam nostram non prorsus sanctis feminis fuisse olim destitutam, curiosis antiquariis iterum communicamus.

*Translacio ossium Magnildis de Foletofte ad ecclesiam Lundensem. Magnus Diuina miseratione Archiepiscopus Lundensis, Primas Sweciae & Apostolicae sedis Legatus, dilectis sibi Domino Folquino Deyneri Praeposito, Suenoni Saxtorp Decano, Petro Symonis, Petro Iohannis & Petro Nicolai Canonicis suis Lundensibus salutem & coutinuam in Domino caritatem. Tociens arbitramur nos obsequium praestare DEO, quociens Sanctis eius debitum honorem impendimus & laudem eorum pro viribus ampliamus. Sane a multis accepimus, quod quondam dilecta in Christo filia honesta mulier Magnildis de Foletofte ducens vitam, creatori omnium signanter acceptam, a nuru sua iniuste peremta, pro suis bonis operibus migrauerit ad Dominum, istiusque corpus sepultum in Cimiterio Foletofte nostrae Lundensis dioecesis existit, vbi post eius de vita praesenti obitum, is cui placita erat anima illius multa in testimonium beatitudinis eius signa suis fidelibus illis temporibus ostendere dignabatur. Vnde & a viro magnae auctoritatis beato Andrea tunc temporis Archipraesule praedecessore nostro, prout in literis suis perspeximus Sancta mulier appellatur. Verum quia refrigescente caritate in cordibus multorum, & antiquo rerum ordine peruerso, locus in quo posita est sepultura tantae mulieris; nec non quod grauius est, debite DEI Veneracioni incongruus proh est effectus. Nam*

*in Capella supra locum eundem aedificata, vbi olim fiebant quotidie missarum sollemnia, vix nec semel in anno, quod dolenter referimus, missa celebratur. Ac insuper vbi populus alias tota nocte in DEI laudibus vigilabat, nunc lusores & cantores conueniunt, & turpibus cantilenis & saltationibus, commessacionibus & potacionibus & fornicacionibus insistere minime erubescunt; in Diuine Maiestatis offensam, animarum suarum periculum & scandalum plurimorum. Nos itaque viciis finem imponere cupientes, habito super hoc diligenti tractatu cum capitulo nostro & eius accedente consensu, reliquias eiusdem Sanctae mulieris deuociori loco decreuimus committendas. Vobis igitur & cuilibet vestrum committimus & mandamus, quatinus tertia die Pentecostes immediate sequenti, ad praefatum locum personaliter accedentes, reliquias memoratae mulieris diligenter inquirere curetis & inuentas auctoritate nostra in Sanctam Lundensem ecclesiam cum ea, qua decet, reuerencia transferatis, ibidem honorifice collocandas, vbi in pace factus sit locus eius, & habitatio in salutem presencium & subsidium futurorum. Praeterea omnibus vere penitentibus & confessis, maxime homicidis & puerorum oppressoribus, eciam si prius a nobis gratiam obtinuerant, qui huiusmodi translacioni aut collocationi praesentialiter interfuerunt de omnipotentis DEI misericordia & Apostolorum eius Petri & Pauli auctoritate confisi, dimidium annum & dimidiam carenam de iniuncta sibi penitencia misericorditer relaxamus. Datum Lundis nostro sub sigillo anno Domini M.CCC.LXXX tercio XVII. die mensis Aprilis.*
Quis autem dies in fastis nostris venerabilis huius Matronae cultui fuerit dicatus, non inuenire potui. Interim satis verisimile est, pridie Calendarum Augusti eiusdem ossium vti aliorum quoque, venerationi superstitiosos vacasse; quoniam in nostro martyrologio ad hunc diem adnotatum legimus: *Item eodem die solemnitas reliquiarum ecclesiae Sanctae Mariae & Sancti Laurentii Lundis.* Magnildis huius Historiam recenset Messenius Tom. 9. lib. 2. Cap. 20.

(x) *Petrus)* Huius ad D. III. Kalend. Ianuarii Fasti saepius iam adducti Martyrologici meminerunt, hoc quidem elogio adiecto: *Anno Domini 1391 obiit venerabilis Pater, pius, mansuetus, sobrius, iustus, tercius Petrus Scaniensis, Lundensis Arciepiscopus XVIII. qui post consecrationem suam de magna Roma rediens sedit apud suam Ecclesiam anno vno & duodecim diebus. Sublatus est in pace dilectus DEO & hominibus.* Obseruatione dignum videtur, quod hic sit vnicus in toto hoc codice locus, vbi barbaris numerorum notis, quas cyphras vulgo dicunt, annus designatur. Manifesto equidem indicio characteres antea non fuisse in vsu, cum alias Monachi scribendi compendia quaeuis maxime amauerint.

(y) *Iacobus)* vltimus hic est Archiepiscoporum Lundensium, de quo aliquid tabulae nostrae Necrologicae referunt; & quidem tantum haec verba offendimus ad II. Non. Aprilis. *Anniuersarius Domini Iacobi Archiepiscopi de tribus curiis in Borgby.* Est autem hoc nomine tertius alias Gerardi dictus, cuius vitam tradit laudatissimus rerum Danicarum scriptor Episc. Chron. p. 80.

## *Ad III. Monumentum.*

(a) *Hubaldus)* natione Anglus fuit, cuius memoriam ad II. Idus Octobris vterque codex noster his verbis solennem indicunt: *Anniuersarium Hubaldi Feonensis Episcopi, Fratris nostri.* vid. Hvitf. Episc. Chron. p. m 37.

(b) *Sueno)* Frater Archiepiscopi Asceri fuisse traditur. vid. Hvitfeldii Chron. Episc. p. m. 102. A quo atque ab Helvadero in Calendariographia post Escillum locatur. Calendarium Necrologicum haec ad III. Kalend. Aprilis prodit: *Sweno felicis memoriae Episcopus & Canonicus Sanctae Mariae Wibergensis obiit.*

(c) *Eſchil*) Faſti noſtri ad XIII. Kalend. Nouembris: *Anno Domini M. C. XXXIII. Eſchillus Wibergenſis Epiſcopus frater noſter occiſus eſt.*

(d) *Petrus Roſchildenſis*) in citatis iam Faſtis memorabilis occurrit locus ad II. Nonas Iunii, vbi hic Epiſcopus inter ceteros, qui in pugna Fotevigenſi occubuerunt, nominatur, cuius haec ſunt verba: *Anno Domini M. C. XXX. IV. Indict. XII. apud villam Hamar* (*y FODEWIGH*, recentiori manu hoc adſcriptum) *occiſi ſunt in praelio Magnus filius Regis Nicolai, & Epiſcopi, Petrus Roſkeldenſis, Thore Ripenſis, Catelo Wendelboenſis* (*duas marcas argenti*) *Henricus Sictunenſis & Brant Subdiaconus frater noſter cum plerisque melioribus Daniae.* Eadem, alio licet ordine, refert martyrologium hoc modo: *Ipſo Die Petrus Roſkeldenſis Epiſcopus & Brant ſubdiaconus fratres noſtri occiſi ſunt. Item Katillus Wendalenſis Epiſcopus. In eadem ſtrage Magnus Nicolai Regis filius virtute & progenie inclutus cum melioribus Daniae Epiſcopis & Principibus in praelio peremtus DEO Creatori ſuo reddidit animam.* Petrus hic alias Botyldes a matre cognominatur, quod illo tempore, in primis quando patre illuſtrior aut inferior genere videretur mater, ſatis frequenti fuit in vſu, quod non ſolum exemplo Regis Suenonis, qui ſaepius Eſtrithius, quam Vlfonis appellatur, verum etiam vlterius duobus hiſce ex Martyrologio noſtro exſcriptis teſtimoniis probatur. Horum alterum ad II. Idus Maii annotatum ſic ſe habet: *Anno Domini M. CC. L. IX. obiit Dominus Gudmundus Lucie filius ſubdyachonus huius loci Canonicus, qui conſtruxit altare in Eccleſia B. Laurentii in honorem S. Mariae & B. Katarinae virginis & B. Olaui Martyris &c.* alterum vero ad VI. Non. Iulii. *Item obierunt pie memorie Ago Sophie filius & vxor ſua, qui dederunt fratribus VIII marcas argenti.* Conf. Stephan. Notae ad Sax. Gram. p. 230.

(e) *Rycco*)

(e) *Rycco*) Ad XV. Kalend. Nouemb. Necrologium noſtrum haec refert: *Anno Dni M. C. XXXIX. Rycco Roſkeldenſis Epiſcopus frater noſter cum ſuis occiſus eſt.* Chronologia vetus in Monum. BENZELII p. 87. ponit annum M. C. XL. III, at contra reliquorum Hiſtoricorum fidem, qui hoc in pago Ramloeſe factum dicunt, Roſkildiae occiſum eſſe. vid. Hvitf. Chron. Epiſc. p. m. 45.

(f) *Herimannus*) Emortualem eiusdem fuiſſe XVII. Kalend. Feb. his verbis idem notat Calendarium: *Item ſc. obiit Dominus Herimannus Epiſcopus, huius congregationis Canonicus.* Quod etiam confirmat Martyrologium.

(g) *Ricolfus*) In ſerie Epiſcoporum Othinenſium apud Helvaderum & Nobiliſſ. Hvitfeldium eſt quartus; noſtri Faſti illum alias ignorant.

(h) *Symon*) Hunc deceſſiſſe ad D. III. Idus Maii ex hiſce Martyrologii Lundenſis verbis percipere licet: *obiit Apa Soror noſtra & Simon beate memorie Othinienſis Epiſcopus, prius huius loci praepoſitus;* Annus neque heic eſt annotatus, neque ab illuſtri Hvitfeldio.

(i) *Petrus*) Praeſulis huius memoriam ad XIII. Kal. Iunii obſeruatam olim heic fuiſſe, quae ſequuntur, eorundem faſtorum noſtrorum verba teſtantur: *Item obiit Petrus Roſchildenſis Epiſcopus, noſter Canonicus.* Anni adnotatio etiam heic deſideratur. Quandoquidem autem veriſimile eſt, heic intelligi Petrum quartum, Iacobi filium, qui exul obiit; hunc defectum ſupplet Chronologia quaedam vetus a Rev. D. BENZELIO edita, quae mortem eiusdem anno M. CC. XXV. contigiſſe notat. vid. Monum. p. 16.

(k) *Iohannes*) Hoc nomine ſecundum & XIV. Praeſulem Othinienſem eſſe, qui heic nominatur ex iis, quae de illo refert Perilluſtris Hvitfeldius, coniicimus. conf. Chron. Epiſc. p. m. 39.

(l) *Nicolaus*) Epiſcopi Hethebyenſes cum hoc nomine quatuor fuerint, vtique non facile poteſt determinari,

quis

quis eorum fuerit noſtras. Interim ſcripturae character non obſcure, & locus, quem inter ceteros occupat, indicant illum vixiſſe ſeculo XIII vid. lib. cit p. 11.

(m) *Skaelm*) Ex illuſtris Skialmonis Hvide poſteris hunc fuiſſe, vel ipſum nomen inſinuat; documenta Hiſtorica vlterius probant. Conf. Genealogia Archiep. Abſol. a Conſultiſſ. Nettelblad edita Biblioth. Suethicae P. 3. p. m. 145. & 180. Alias ipſe quoque Skialm & Schelmo ſcribitur. Ceterum heic animi gratia notandum, quod multa, quae fuere quondam nomina propria & honoratiores officiorum tituli, nunc abuſu degenerauerint in conuicia e. gr. Skålm, Skalck, Bof, Topa, Toka, Apa, Mär, Galt &c. prout ſequentia ex faſtis Necrologicis excerpta ob oculos ponunt: *X. Kalend. Ian. Anniuerſ. Suarthoftha, Throkils & Toka. X. Kal. dec. Apa & Thorth obiit. Nonis Iulii obiit Topa monacha S. Mariae & S. Petri Lundis. VI. Kalend. Iul. Galt monachus S. Mariae & S. Petri Lundis. IIX. Kal. Iun. Bove laicus Ulfiar filius VI. Idus April. Tocke, qui & Toki, Pridie Iduum Martii Bovi laicus obiit.* His adde, ſi placet, Sax. Gram. p. m. 28. Hervarar Saga cap. 20. & Cl. Sperlingii Not. in Teſtamentum Abſolonis p. 43.

(n) *Petrus*) Hunc eſſe illum opinamur, cui cognomen Bang tribuitur, cuius res tradit Nobiliſſ. Hvitfeldius Chron. Epiſcop. p. m. 46.

(o) *Petrus*) Sine dubio eſt X huius loci Praeſul, nimirum Petrus Olavi filius. vid. cit. Auct. p. m. 100.

III.

Tab. 11

1



3



2



# III.

## HISTORIA NATVRALIS
# DENDRITAE LAPIDVMQVE
## COGNATORVM.

SCRIPTA A. 1734.



## CONSPECTVS.

I. §. *Dignitatem materiae asserit.*

II. §. *Quid sit Dendrites, eiusque nominis rationem explicat.*

III. §. *Differentias ratione figurarum in eodem occurrentium tradit.*

IIII. §. *Materiem eiusdem variam, & primo Dendritas gemmeos considerat.*

V. §. *Marmoreos quosdam recenset.*

VI. §. *In plerisque lapidum viliorum generibus, nec non aliis fossilibus Dendritas obseruatos esse probat.*

VII. §. *Celebriora loca, vbi Dendritae inueniuntur, in genere breuiter memorat; simulque illum, qui Sinaiticus dici solet, fusius describit.*

VIII. §. *Loca hoc nomine memorabilia intra Patriam in specie notat.*

VIIII. §. *Physicorum praecipuas de generatione Dendritarum sententias modesta cum epicrisi exhibet.*



*Q. B. V.*

§. I.

Artem esse naturae simiam vulgare prouerbium vere dictitat; at vicissim Naturam nonnunquam quoque esse artis imitatricem asserere eo minus dubitamus, quo elegantiora huiusce veritatis argumenta producere possumus. Quemadmodum enim illa demum pingendi, tanquam perfecta & omnibus modis absoluta ars probatur, quae naturam rerum pulcre & rite imitari valet; ita vel inprimis quouis pretio non indigna ea reputantur naturae opera, quae industriae humanae artificia consummatiora, exacte depicta sponte exhibent. Fidissima itaque illla rerum memorabilium conseruatrix Historia, non tantum celeberrimos pictores, qui summo artificio & bestias & homines praeclare fefellerunt, depraedicat; verum etiam Pyrrhi Achatem, in quo citharoedus iuuenis inter

ter nouem virgines ſedens repraeſentabatur (a); atque Rumphii Iaſpidem, pontifice infula ornato, in genua procumbente, manus verſus coelos ſubleuante & quaſi numen adorante inſignitum (b); nec non marmora aliosque lapides nubes, ruinas, vrbes, regiones, ſyluas, humanas facies, literas, atque alias res plurimas ita affabre depictas, vt earum intuitu vileſcat omnis Apellis conatus adcuratiſſimus, commemorat & magni vbique facit (c). Abſit tamen, vt haec ſtupenda phaenomena Naturae Polydaedalae conſilio agenti adſcribamus; potius exiſtimemus, nonnulla eorum perfectionem ſuam debere foecundae & ludibundae ſpectatoris phantaſiae (d), in reliquis autem maximi creatoris multiplicem cauſarum naturalium complexum ſapientiſſime dirigentis infinitam potentiam & gloriam ſolum proni veneremur, adoremus. Quoniam igitur ille lapis, qui curioſis Naturae ſcrutatoribus Dendrites dicitur, inter huius cenſus praecipuos merito numera-

 tur,

(a) Vid. Plinii H. N. Lib. 37. Cap. I.
(b) Vid. Rumphii Theſaur. Tab. 56. No. I.
(c) Vide ſis Tabulae eiusdem N. 2. 3. 4. item Lit. A. B. C. D. E. F. quibus addi poſſunt ex Mylii Memorab. Sax. ſubterr. ad fol. 74. N. I. 2. 6. Helwing. Lithograph. Angerburg. Tab. VI. fig. 1. 2. 5. Tab. XI. fig. 1. 2. 3. & fere innumera alia quae aqud Auctores exſtant exempla; inter quae ſilentii peplo occultare prorſus nequeo elegantiorem in Dactyliotheca noſtra adſeruatum Achatem nigrum in litore Malmogienſi inuentum, in quo diſcurrentes albae pellucidaeque maculae caput Imperatoris cuiusdam non inepte adumbrant.
(d) Exemplum ſuppeditat Schuttei Oryctograph. Ienenſ. p. 73. Tab. 2.

tur, inter huius cenſus praecipuos merito numeratur, quippe qui elegantiſſimas picturas, vix mortali manu, licet exactiſſimo penicillo armata ſuperandas, omnibus, quibus volupe fuerit admiranda ſummi artificis opera, oculis non fugitiuis contemplari, oſtentat: mihi equidem non indignum viſum eſt argumentum, curioſam huius lapidis diducere hiſtoriam, & breue ſimul cauſarum examen inſtituere. Hanc vero opellam qualemcunque cordatioribus Lectoribus non ingratam prorſus fore, eo magis ſperare licet, quod haec Hiſtoriae naturalis Patriae particula nondum pro dignitate ab eruditis noſtratibus ſit pertractata, & neminem ſciam praeter deſideratiſſimum b. m. Dn. Archiatr. Magn. Bromelium, qui Dendritarum & foſſilium reliquorum numerum adcuratius inierit. Etenim hic Phyſicus ſagaciſſimus primus hoc impigre voluit ſaxum, vt memorabilia noſtrae Patriae plenius innoteſcerent exteris, nec iuſta ipſis praeberetur cauſa, nos ſocordiae & ignauiae in rimandis & feliciter ruſpandis terrae adytis, abditisque eorum arcanis in apricum producendis, inſimulandi; cum feliciſſimo ſucceſſu Naturae Conſulti plurimi in Germania, Heluetia, Italia, Gallia, Britannia aliisque regionibus hoc conati ſint, ſimulque cum ſtudio & labore indefeſſo, tum foecundiſſimo ingenio acerrimoque iudicio ſcientiae naturalis perfectioni conſuluerint. Sed maxime dolendum, viro optimo & erudititiſſimo ob praematurum fatum non licuiſſe Lithographiam Suecanam, opus Hiſtoriae Naturalis ſtudioſis pergratum & exoptatiſſimum, ad finem perducere, neque omnia grauiſſimis curis medicis ſummopere diſtracto, huc pertinentia adcurate adeo notare, quin

adhuc

adhuc permulta reſtent aliis obſeruanda, commemoranda, & diiudicanda. Quod etiam de reliquis Naturae Hiſtoricis adeo verum eſt, vt ſemper aliquid reſtet aliis agendum. Et ſi vel maxime omnia hic celeberrimus noſter Oryctographus abſoluerit, etiamſi Phyſici conſummatiſſimi hanc materiem antea diludicauerint doctiſſime & pleniſſime, hos tamen conatus meos benigne excuſatum iri ſpero, quoniam vere dixit Comicus: *nihil iam dicitur, quod non ſit dictum antea;* Nec minus vere monet alius quidam morum doctor: *Bis aut ter quod pulcrum eſt.* Verum, erudite Lector, Tu mihi inprimis exorandus es, ne haec humilia penitus faſtidias, qui ſublimia ſectari conſueuiſti. Cogita parumper, Te eiusdem almae matris progeniem eſſe mollem & fragilem, nec cognatam licet rigidam & durabilem aſpernare. Tu coelos gloriam DEI enarrantes ſuſpiciens, non terram deſpice, quae omnis ineffabilem depraedicat etiam Creatoris laudem. Hanc immortalem ſi ingrati reticuerint mortales, vel ipſi lapides & duriſſima ſaxa praedicabunt, modo non dedigneris mecum haec antiquiſſima Maieſtatis, Omnipotentiae, Sapientiae & Iuſtitiae Diuinae monumenta, omnibus priſci aeui pyramidibus, obeliſcis, columnis & quibusuis aliis maiora adire & contemplari.

## §. II.

Eſt autem Dendrites ſecundum recentiores Hiſtoriae Naturalis auctores, Lapis arbuſcularum, fruticum, muſcorum, fucorum, aut ex horum ramulis compoſitarum figurarum ſtellarium, immo ſyluarum, dumetorum atque ericetorum ſpontaneis picturis, ornatus.

Ratio itaque denominationis ſatis eſt euidens, & in ipſa re fundata; deriuatur enim ἀπὸ τȣ͂ δένδρȣ, quod arborem, cuius delineationes inprimis refert, ſignificat. Licet vero non eousque adaequata ſit haec nomenclatura, ac illa Conchitae, lapidis a conchae animalis teſta figuram ſimul & originem habentis; aut caeterorum transmutationi natales ſuos debentium foſſilium, Ichthyitae ſcilicet, Cochlitae, Mytulitae, Corallitae, aliorumque: maiore tamen, aut ſaltem non minore iure hunc titulum ſibi vindicat, quam ſuum vel Belemnites, vel Aſtroites, vel Porpites, vel Chelonitis, vel Entrochus & reliqui omnes ſoli figurae nomen ſuum acceptum referentes, receptam hanc retinere, quam nouae impoſitione gloriolam aucupari malumus. Dendritidis albae mentionem inter antiquos quidem facit Plinius (e), at incertum tamen eſt, an illo nomine hunc noſtrum, vel alium quendam intellexerit; Dendrachaten vero huc pertinere & huius ſpeciem eſſe, certiſſimum reddunt haec ipſius verba: *Dendrachates veluti arbuſcula inſignis* (f). Hic idem Δενδρήεις Ἀχάτης, Δενδραχάτης, Δενδρόφυτος πέτρη dicitur. (g). Eiusmodi autem gemmas in India inuentas & elegantiſſime depictas, noſtri temporis Plinius Indicus, Celeberrimus Rumphius, coecus ille ipſo Argo oculatior exhibet & Belgis *Boomſteenties*, *Boomties Achaties*, Indis autem *Malaice Widury* dici perhibet (h). His merito adnu-

(e) Hiſtor. Natur. Lib. 37. Cap. 11.
(f) ex eiusdem Libri cap. 10.
(g) Orph. de Lapid. p. 203, citante Cl. I. I. Scheuchzero Oryctograph. Heluet. p. 246.
(h) Theſaur. Imag. Cochlear. &c. Tab. 55. 56.

adnumeramus etiam Achatem cuius ex Camillo Leonardo Pisaurensi meminit Cardanus, *qui septem arborum imaginem naturaliter expressam continebat* (i). Forte nec adeo inepte Plinii gemmas Ponticas, quarum his verbis mentionem facit: *Ponticarum plura sunt genera. Est stellata nunc sanguineis, nunc atris guttis, quae inter sacras habetur, alia pro stella eiusdem coloris lineas habet, alia montium conuallíumque effigies* (k), vna cum eiusdem Borsycite in hunc retulerimus censum. Clarissimus Lithographus Boëthius a Boot Dendriten quoque nominat, & a similitudine arboris dictum asserit (l), sed non nisi adiectis Plinii verbis obscure describit, attamen illum diserte commemorat, cum lapidem scissilem cinereum *in quo exacte ex erica syluulae depictae fusco colore apparent, vt nullus pictor neque melius neque elegantius eas exprimere penicillo posset*, prodit (m). Imperatus Italice dicit: *Pietra imboscata, Pietra naturalmente delineata in figura de, boschi, Pietra di sinai* (n). Ab eodem etiam Latine *Petram Nemorosam* appellari testatur Kircherus (o). Pertinet huc quoque *lapis artificiosa caelatura in figuram abrotani plantae effictus: Lapis naturae vi affabre efformatus in figuram & typum nemoris* (p); atque forsan huc recte etiam refertur *Lapis fissilis*,

(i) de Varietate rerum p. m. 102.
(k) vid. lib. & cap. antea citat.
(l) Hist. Lap. & Gemm. Lib. 2. Cap. 299. & 303.
(m) Lib. eiusdem Cap. 235.
(n) Hist. Natur. Lib. XXIV. p. 578.
(o) Mund. subterr. Tom. II. p. 39.
(p) Calceolar. Mus. Sect. III. p. 419. & 420.

*fissilis, per quem discurrentes venae ex argilla cinerea delicatius lapidescente arborem coralii instar patulam in ramos hinc inde diffusos repraesentant* (q). Cl. D. D. Kundmannus Vratislauiensis Physicus perquam curiosus, argumentis, nescio quibus, ductus hunc nostrum *Dendroidis* nomine insigniuit; *Dendritas* autem plantarum veris vestigiis ornatos lapides salutat (r), quos Luidius & nonnulli alii minus adcurate Lithophyta nuncupant (s), rectius vero alii Phytolithos & Lithobiblia appellant.

§. III.

Quamuis igitur Dendrites nomen genericum species multas & diuersas ratione materiae e qua constat, figurarum in eo delineatarum atque loci natalis a se non parum inuicem differentes comprehendens, recte constitui videatur. Omnium namque huc referendorum fossilium quasi vniuersalis nota characteristica est, quod arbuscularum vel figurarum his aliquomodo cognatarum, & potius adcurato oculorum examine, quam verbosa descriptione cognoscendarum & suo generi adiudicandarum lineamenta exhibeant. Cum tamen haec simulacra valde inter se discrepent, nec semper arbores fruticesque distincte referant, verum obscuriores interdum & rudiores, interdum elegantiores atque nitidores linearum ductus alias potius res adumbrantes; vtique non abs re erit praeter hoc alia quoque nomina

(q) Iohann. Bauhin Hist. Boll. de lap. p. 4.
(r) Prompt. Rer. Nat. & Artificial. Wratisl. p. 221. & 238.
(s) vid. Eiusd. Sciagraph. Lithophyl. Brit. Class. 3.

na adaequata ad meliorem ſpecierum diſtinctionem adſciſcere. *Dendrites* itaque ſpeciatim ille erit, qui perfectius arbuſta & dumeta, nec non regiones ſyluoſis amnium ripis, montiumque iugis conſpicuas, iucundo prorſus ſpectaculo intuentium oculis ſponte depictas ſiſtit (t). Huc quoque merito referendos cenſemus lapides, quotquot praeterea plantis abrotano, ericae aut muſco capillaceo phyſici quidam aſſimilarunt, quorum ſpecimina commemorat Kundmannus (u), atque Acta Literaria Suethica (v). Illis vero, qui ampliores & magis diffuſas muſci cuiusdam cruſtoſi ſiue *Lichenis*, ſiue *Lichenoidis* imagines gerunt, quidni nomen ab his mutuari licebit? Huius familiae elegantiores ſunt nonnulli Maslenſes e Sileſia; Aſt illos tamen longe poſt ſe relinquit ille ex Comitatu Papenheimenſi e Sueuia, a Clariſſimo LINCKIO Lipſienſi, A. N. C. Imp. & Reg. Soc. Angl. Membro admodum ſpectabili, Viro incomparabili, in decus & incrementum hiſtoriae Naturalis nato, ad me amice transmiſſus. Quod ſi autem ramoſae figurae in extremis latiores fucos aut quercum marinam aemulari videantur, non incongrue quidem talis ſpecies *Phycites* dicatur.

 Tales

(t) Horum elegantiora exempla non pauca paſſim apud Oryctographos occurrunt. Vid. Mylii Memorab. Sax. ſubt. ad fol. 50. No. 1, 4, 5, 6. Tab. II. No. 1. Tab. III. No. 2. 3. Relat. III. quibus adde ex Actis Societ. Reg. Suethicae Tab. I. No. 7, 8, 10. & Alb. Ritter. de Alabaſtrit. Hohnſtein: Lucubr. §. XX. fig. I.

(u) Lib. citat. p. 221. No. 52. 57.

(v) Vol. 2. p. 310.

Tales quidem inueniuntur apud Mylium (x). Celeber. Scheuchzerus etiam *Dendritem algae fere figura ex agris Altenburgensibus Misniae*, & alium *fucum fere referentem in saxo carnei caloris ex collibus Euganeis*, commemorat (y). Neque meum Lithophylacium illis caret, prout e dicendis infra patebit. Phyciten autem ab algae similitudine appellatum esse auctor est Plinius (z). Porro si lapidis superficies stellarum pictarum imaginibus diuersimode ludat, *Pseudastroites* non inepte salutetur, qui quidem ab aliis quoque Astroites, licet ab illo genuino corallini generis, vti & ab Asteria longe sit diuersus, absolute dicitur; minus equidem adcurate, quod horum icones stellarum non in superficie duntaxat existant, sed vtplurimum per totam corporis substantiam continuentur, sibi semper constantes & similes; illius autem magis irregulares & vmbratiles in sola superficie terminentur, & schemate perquam vario luxuerint (*a*). Exempla apud Auctores huius lapidis stellaribus figuris ornati exstant varia. Sic Clar. Scheuchzerus inter Dendritas mentionem facit *Silicum marmoreorum stellulis nigris consperforum, nec non stelliformium figurarum Astroitis similium in marmoribus montium Bononiensium*

(x) Memorab. Saxon. subterr. ad fol. 50. No. 3. Tab. II. No. 4. 6. Tab. III. No. I. P. 3. Tab. I. No. 2. 4.

(y) Oryctograph. Helvet. p. 246.

(z) Loco citato.

(*a*) Conf. ea quae in hanc rem adducit sagacissimus quondam Naturae Consultus nostras Act. Liter. Sv. Vol. 2. p. 469.

*ſium* (*b*). Plura autem & elegantiora e Muſeo Domeſtico depromere licet. Vltimum locum inter Dendritae ſpecies, nomen a figuris in iisdem obuiis adeptas, proprium *Stigmites* propter ruditatem occupet; ille enim non tam ſtelliformibus notis, quam punctis atris informibusque diſtinguitur plurimis. An *Punctulariae* aut *Stigmitae* ſpecies, quas diuerſas enumerat Cl. Kundmannus, huc pertineat, non ſatis nobis conſtat, cum non ad manus ſit Hermanni Maslographia (*c*), non tamen hoc adeo videtur incongruum, cum deſcriptiones non inepte in hunc noſtrum quadrent. Verum enimuero quamquam haec Dendritae in ſuas ſpecies diſtinctio, non caret prorſus ſolido fundamento, vtpote quae ſatis notabili figurarum in iisdem delineatarum diuerſitate ſuperſtructa ſit; cum tamen non raro contingere ſoleat, vt in vnico lapide duae vel plures ſpecies commiſceantur; Dendrite exempli gratia ſimul Pſeudaſtroitae & Stigmitae notas oſtentante, Pſeudaſtroite autem praeter ſtellares figuras, puncta & pictos fruticum ſeu muſcorum ramulos continente; vnde etiam in his rebus adcuratiſſimus Scheuchzerus & cum Aſtroite & cum Stigmite Dendriten coniungit (*d*). Non ſane diffitemur hanc, vti fere caeteras omnes rerum naturalium diſtinctiones, vtut adcuratiſſimas, omni quidem labe non prorſus carere. Quoniam tamen denominatio fieri debet a potiori, illam non prorſus reiiciendam exiſtimamus, quod & differentias ſpecia-

 liores

(*b*) l. c. p. 247.
(*c*) cuius Tab. XI. No. 36. citatur a Kundmanno l. c. p. 214.
(*d*) Libr. cit. p. 246.

liores manifeſtet, & maximam inter ipſas ſpecies cognationem vltro comprobet.

## §. IV.

Ad materiam Dendritarum quod attinet, illa quidem multiplex eſt & perquam varia: Etenim modo recenſiti eorundem characteres non tantum in omnis fere generis lapidibus vilioribus, verum etiam in quibusdam nobilioribus & pretioſis occurrunt. Ad horum ordinem primario pertinent quicunque gemmas ſeſe duritiei & nitoris, coloris aut pelluciditatis elegantia probant. Dendrachates talis eſt, nimirum fere pellucidus; venis ſuis arbores quaſi delineans, in Europa noſtra rariſſimus, in India autem frequentiſſimus, cuius iam antea mentionem fecimus, & vel ideo pluribus deſcribere ſuperſedemus, quod alii ſatis ſuperque eiusdem hiſtoriam tradiderint. *Borſyciten* ex Plinio, *qui plantam refert in nigra candidis aut ſanguineis frondibus florentem*, iuxta Ath. Kircherum his adnumerare conuenit (*e*). An vero huic eodem gradu cognatae, ac Dendritae vulgari Pſeudaſtroites modo deſcriptus, cenſendae ſint gemmae Plinio *Aſteria*, *Aſtroites*, & *Aſtrobolon* dictae, eo minus ſtatuere licet, quod breuiſſimis adeo & minime perſpicuis verbis illas deſcripſerit; quin potius easdem ad Opalorum familiam referendas eſſe autumo; Verum Stigmiten gemmeum, quem vulgo D. Stephani Gemmam vocant, huc pertinere & a Plinio ſub Ponticae nomine forte deſcriptum, non abs re forte coniicimus. Praeterea in Gemmario meo poſſideo Pſeudopalum albis circinatis

(*e*) Loco citato.

circinatis maculis notatum e Siberia allatum, qui vel Leucophthalmus erit Plinii verus (adeo vt pro hoc nomine illud Lycophthalmi perperam ſoleat aſſumi) vel alicuius praedictarum in locum non immerito ſubrogabitur, ſaltem hoc loco commodam ipſius fieri commemorationem exiſtimavi. Quod vero *Achates* ἀστροειδὴς Kircheri huc pertineat, probatione minus indigere videtur (*f*). Porro in Iaſpide quoque non admodum raro elegantioribus arbuſcularum picturis Dendrites ſeſe manifeſtat, eapropter non inepte *Dendroiaſpidis* nomine ad diſtinguendum a reliquis ſui generis ſpeciebus decorandus, modo noui nominis fabricatio neminem offendat. Gemma equidem eſt, ſed a Dendrachate eo diuerſa, quod opaca ſit, nec adeo perfectam polituram admittat; vtplurimum etiam picturas duntaxat ſuperficiarias, nec ad interiora Lapidis pertingentes, oſtentet. Elegantem eiusmodi Iaſpidem rubrum Landshuttenſem Dendrite ornatum e Sileſia redux attulit Experient. D. D. DAVID SAM. KOVLAS, eoque me donauit. Inter cuius gemmas quoque obſeruaui Sardam ſiue Carneolum eiusmodi figura, quae alias in Dendritis occurrit, inſignitum.

## §. V.

Proxime ad gemmas eximia nitoris & coloris pulcritudine accedunt marmora; hinc quoque in lapidum nobiliorum cenſum Lithographis veniunt, quamuis illis pretioſis vulgo dictis duritie & durabilitate, quippe quae ignis violentia in calcem tandem rediguntur, cedunt. In his etiam ſunt, qui Dendritarum

 alio-

(*f*) Libro eod. p. 28.

aliorum formositatem venis maculisque suis, non incassum aemulantur. Florentinum namque marmor, cuius icones suppeditat Besleri Gazophylacium praeter ruinas, nubes aliasque res adspectu iucundas arbusta & sentes adumbrare solet; Cuius rei testem inprimis adducimus Physicum Celeberrimum iam antea citatum Scheuchzerum, qui & *Marmoris dendritici Florentini, & Lapidis Florentini Pietra forte dicti ramulis quasi cupressinis dimidiae eminentiae & opere crustaceo perbelle depicti prope Florentiam reperiundi*, mentionem facit (g). Nostrum etiam Lundense Lithophylacium seruat marmoris Italici speciem venis luteis, rufescentibus & albicantibus distinctam, & quasi e plurimis frustis artificiose conglutinatam, quae insuper arbusculis quibusdam nigricantibus passim exornatur. Porro praeter illa Pseudastroitae ex Oryctographo Helvetico Celeberrimo iam supra §. III. citata specimina marmorea hisce adnumeramus, quae sequuntur Marmora, ab eodem recensita: *Marmor albidum Dendritis nigricantibus in ipso corpore hinc inde delitescentibus perfusum ex Valle Raurica; Dendriten Suhlensem nigrum in marmore corneo; Item alium Dendriten Suhlensem subtilissimum in marmore flauescente.* Tandem superaddimus *Eiusdem Dendritam vel stigmitam in marmore seu saxo candido Scaphusiensi;* atque denique *Dendritam & Stigmitam e Badensis comitatus ferrifodinis prope Cappel, in marmore flauo abbescente.* Nec parum huic momento roboris addunt, quae suppeditat

(g) citato loco.

peditat Mylius (*h*). Vltimo huic familiae accensendam putamus durissimam illam & nobilissimam marmoris speciem, quae ab vrbe quadam Aegypti *Syenites*, a punctis vero quibus notatur *Stigmites* Plinio, atque Italis hodie *Granito* dicitur. An vero tanta sit eius durities, vt ab omni ignis ac ipsius adeo aeui iniuria immunis persistat, iure ambigimus. Interim tamen propter perennitatem insignem tale marmor ab antiquis ad monumenta praeclarorum virorum maxime fuit expetitum. *Dendriten Sinensem* cuius meminit b. m. Bromelius in Colleg. Mineralogico Mscr. prorsus ignoramus; Sinaiticum ad saxa potius relegandum heic omittimus, mox describendum pluribus.

## §. VI.

Dendritae in lapidibus aliisue fossilibus vilioris materiae obuii diuersitates tot fere sunt, vt arduum sane foret sedulis Naturae scrutatoribus, earundem numerum exacte definire. Nam non solum omnia pene saxorum Lapidumue genera, sed glebas quoque immo ipsa petrefacta, testas atque ossa fossilia, elegantiora haec naturae pictricis opera occupant. *Saxum vulgare grifeum*, vulgo Gråsten dictum, quod nonnunquam Dendritis, licet ob materiae ruditatem rudioribus distinguitur, vti exempla infra afferenda commonstrabunt, tantum heic nominasse sufficiat. Breuitatis studio *Pyromachos* quoque seu silices vulgares, quos a colore *lapides corneos* Physici recentiores non inepte dicunt, elegantioribus eiusmodi figuris ornatos, & apud nos non adeo infrequentes, lubens heic silentio

(*b*) Memorabil. Saxon. Subterr. p. 51.

tio praetereo. Pauciſſimis tantum verbis primo commemoraſſe iuuat *Lapidem fiſſilem*, quod ille prae caeteris omnibus admodum frequens haec ornamenta exhibeat; inprimis vero ille albicantis, cinerei, lutei atque flaueſcentis coloris hac praerogatiua ſuperbit; nec tamen ater eadem prorſus, vti ex iis, quae infra ſequentur, patebit, deſtituitur. Ex innumeris fere Dendritis lapides fiſſiles occupantibus, mira varietate ludentibus, vnicum ſolum ſpeciminis loco deſcribere operae pretium duxi, quoniam ille reliquos cunctos elegantiſſima pictura longe ſuperat, pro naturae miraculo ſuo iure reputandus. Hunc albicantis & ad coeruleum parum vergentis coloris, regionem ſupra nubibus, infra collibus, arbuſtis, pratis aruisque, immo ad montis cuiusdam excelſi radices, crypta ſeu ſpelunca pictam & ſecundum exquiſitiſſimas artis pictoriae leges iam dilutiore, iam obſcuriore, atro fuſcoue perbelle adumbratam, repraeſentantem, e fodinis Manebachenſibus & Cuniculo S. Andreae in Thuringia erutum, Cl. Mylius nitide depinxit (*i*). Exactiſſimo huic Naturae artificio non niſi aegre palmam concedit Dendrites in lapide albicante fiſſili ex lapicidina ad pagum Solnhof comitatus Papenheimenſis in Sueuia, cuius praeter clariſſimum iam ſaepius citatum D. D. Scheuchzerum alii quoque Naturae Conſulti ſemper cum affectu quodam admirationis meminerunt. Huius originis non contemnendum etiam ſpecimen in noſtro Lithophylacio aſſeruatum, cuius altera facies ſyluam cum rupe pendula arboribus conſita, altera arbuſtum, e ripa fluminis exſurgens habet, oculis curioſo-

(*i*) Memorab. Saxon. ſubterr. ad p. 18. Relat. III.

rioſorum ſpectatorum ſiſti poteſt. Deinde ob materiae raritatem notandus eſt Dendrites in *lapide foetido*, qui vulgo ſuillus aut porcorum, quod iſtorum animalium efficaciſſima panacea ruſticis noſtratibus credatur, audit, Suethice vero Ohlſten. Eſt autem hic Selenitidis vel potius ſpathi ſpecies, multo ſulphure imperfecto foeta in Norwegia inprimis frequens, quae cremata in calcem abit. Talem recenſet b. m. Bromell ſub hoc titulo: *Lapis cinerei coloris, fiſſilis, foetidus, ſuillus dictus, in ſuperficie oſtendens Muſci ramoſi capillamenta nigra ſubtiliſſimo quaſi penicillo expreſſa, inuentus in arenariis Paroeciae Giårſtadt prope oppidum Schenningam in Oſtrogothia* (*k*). Tum *ſaxum calcarium*, quod interdum quoque Dendritas, & quidem elegantiores recipit, pauciſſimis commemoraſſe iuuat. Vix autem pleraeque huius lapidis ſpecies ab ipſo marmore alia ratione ac ſola pororum raritate & craſſitie differunt, adeoque inter vtrumque genus exactos ſatis terminos conſtituere, non pronum erit; interea tamen non procul nos a vero aberraſſe ſperamus; ſi ſaxi calcarii tres praecipuas differentias pronunciemus: Vnam ſubtiliori e terra variis exhalationibus metallicis permiſta coalitam, quae ideo ex politura inſignem nitorem accipit, & praeterea ſeſe vel candore, vel gratia coloris varii commendat, atque haec *Marmor* dicitur. Altera Cryſtalli inſtar pellucida, materiae tenuitate vix hac prima inferior, laxioris tamen compagis, hinc mollior polituram reſpuit; hanc metallurgi *Spathum* dicunt, quae ſi in teſſeras rhomboidales fatiſcit Phyſicis plerisque hodie *Selenites* audit;

M Scheuch-

(*k*) vid. Act. Lit. Sueth. Vol. 2. p. 310.

Scheuchzero autem *Androdamas Plinii* (*l*). Tertia e maioribus & inaequalibus quaſi granis compoſita, ad polituram recipiendam inepta, quippe minus denſa, coloribus minus conſpicua atque omnino opaca eſt. De vltima hac ſpeciatim *Saxi calcarii* nomine diſtinguenda nobis nunc ſermo eſt; Quandoquidem non tantum iterum non ſine laude nominandus Oryctographus Helueticus memorato antea loco *Dendriten lapidem fiſſilem calcarium muſci ſquamoſi adinſtar in ſuperficie pictum prope Campiliam Hetruriae; & lapidem Calcarium Dendriten griſeum quaſi muſcos albidos marinos repraeſentantem ex agro Florentino*; nec non alium *Florentinum ex tribus varietatibus* recenſet, ſed nos quoque e latomiis Scanicis protractos Dendritas aſpectu iucundos curioſis demonſtrare poſſumus diuerſos. Porro etiam minoris molis lapides alios *riparios* & *litorales* kampeſtenar, klapur, hiſce ornamentis inſignes reperiri, dubitare non ſinit *Dendrites paruus rotundus Maslenſis & Kuntzendorffenſis*, cuius meminit Kundmannus (*m*); nec non ille quem Venerabilis Iac. a Melle in tractatu de lapidibus figuratis agri Litorisque Lubecenſis, ſiſtit (*n*). Quo etiam referre poſſumus quendam ad fodinas Aluminarias inuentum pluribus mox deſcribendum. At non tantum ſaxa & proprie ſic dicti lapides, verum alia quoque foſſilia his germinationum ſimulacris inſignita reperire licet. Sic *Lapidem Calaminarem album* Dendrita ornatum Cl. Kundmannus l. c. recenſet. Lithographus quoque Alpinas

(*l*) vid. Dialogum de Androdam. Oryctogr. Helv. p. 139.
(*m*) Promt. R. N. & A. Wratisl. p. 221.
(*n*) p. 23. Tab. 2. fig. 3. a.

Alpinas e Museo suo Diluuiano, *Dendritae obscura vestigia in marga fissili candida ex Gallia* notat (o). Wratislauiensis Curiosus Physicus modo citatus, *Dendroidem Wonsidelensem Byrythinum egregium in Lithomarga alba laeui, cum arbusculis aureis*, nominat (p). Tandem etiam Celeb. Baieri *Nautiliten exiguum superficie laeui lineis compositis ramulorum instar pictum, plane vt Dendrites* (q), & *Conchiten arbuscularum figuris pulcre exornatum* ex Eruditiss. Alb. Ritteri Schediasmate de Alabastritis Hohnsteinensibus (r) in ornamentum scenae nostrae producere licet; quibus non dissimilem *Chamam fossilem* in latomia Egnabergensi inuentam e penu nostro in curiosorum oblectationem addere possum. Hisce iam recensitis vltimo etiam superaddam ex eodem penu depromendam *Ossis fossilis* seu unicornu mineralis officinarum portionem, subtilissimis fruticulis depictam; vndenam autem e Germania rarissimum hoc mundi subterranei toreuma fuerit allatum, nobis non satis liquet; interim tamen ab ossibus Canstadiensibus & Baumannianis fossilibus parum discrepat.

## §. VII.

Quemadmodum elegantissimos Europa producit Dendritas, *Suethicos* puta, *Danicos*, *Sarmaticos*, *Hungaricos*, *Italicos*, *Gallicos*, *Helveticos*, *Bohemicos* & *Germanicos*, & in his *Custrinenses*, *Eystettenses*, *Sub-*

 *lenses*,

(o) Oryctogr. Helvet. p. 246.
(p) loco citato No. 49.
(q) Oryctogr. Noric. p. 61. Tab. II. fig. 3.
(r) p. 14. fig. 6.

*lenſes*, *Maslenſes*, *Kuntzendorffenſes*, *Sahlfeldenſes*, *Papenheimenſes*, *Oeningenſes* & alios quamplurimos; ita nec caeterae orbis habitabilis partes eiusmodi lapidibus deſtituuntur, inprimis vero ſuos *Aſia* oſtentat, & praeter Dendrachatas perquam pretioſos, etiam in viliori materia, vtpote ſaxo ſuppeditat Dendritas pulcritudine, raritate, nobilitate reliquis nequaquam inferiores. Lapidem intelligo, qui *Dendrites Sinaiticus* vulgo, & Italis *Pietra de Sinai* dicitur, omnium nobiliſſimum, adeoque non indignum, qui & caeterorum ducat agmen & pluribus deſcribatur. Nec vero heic reticere volo, quod ſicuti Nobiliſſ. Iuuenis Dn. MATTHIAS BENZELIVS, parentum Perilluſtrium non modo, ſed orbis adeo literati ſpes eximia & delicium, primum Dendriten Scanicum inuenit, & illo ſupellectilem meam Rerum naturalium amice locupletauit; ita etiam Patruus illius, maxime Reuerendus & Ampliſſimus Vir, S. S. Th. Doct. & Profeſſor conſummatiſſimus Dn. HENRICVS BENZELIVS, Magnificus huius Lycei hoc anno Rector exoptatiſſimus, exotici huiuſce duplici ſpecimine in Arabia collecto nitidiſſimo me donauit, & munere adeo acceptiſſimo liberaliſſime beauit, vt ſi quid illuſtrationi huiuſce thematis conferre poſſim, id totum Benzelianae liberalitati acceptum referre debeam. Etenim Celeberrimus hic Vir & teſtis oculatus fide digniſſimus nos docuit, hunc lapidem minus adcurate dici Sinaiticum, cum non in ipſo Monte Sinai, ſed in alio ab illo duobus milliaribus circiter diſtante, & per vallem diſiuncto, Sanctae Catharinae dicto, inueniatur; An vero quoque Armenia & quidem Mons Ararat, talem proferat, vti hiſce verbis perhibet

perhibet Ampliſſ. Liebknecht: *Potuiſſemus huic etiam lapidi addere alium Dendriten, quem mihi iam ante aliquot annos de Monte Ararat retulit Doctiſſimus, ſed* νῦν ἐν ἁγίοις, *Vir Michaël Enemannus, in Auguſtiſſimi & Potentiſſimi Regis Sueciae Comitatu Caroli XII. Techinae tunc poſt infeliciſſimam contra Ruſſorum Imperatorem expeditionem commorantis, iter in oras Palaeſtinae ſuſcipiens. Vnde & alias tales Dendritas Sinaiticos vocant, quod ex monte Sinai adportari vulgo credantur* (*s*), ipſius D. D. BENZELII auctoritate, qui eiusdem itineris curioſus & perdoctus fuit comes, incertum, nondumque ſatis compertum confidenter pronuntiamus. Quod etiam recutiti Doctores pro μνημοσύνῳ Rubi ardentis, e quo Iehoua Moſen allocutus fuit, miraculoſo habeant (*t*), narauiſſe ſufficit, cum res ipſa fabulis accenſenda vix refutatione digna videatur; quamuis etiam religioſi monaſterium S. Catharinae ad huius montis radices ſitum inhabitantes, ſacellum huic loco ſuperſtructum commonſtrent, quod neminem adhuc niſi nudis pedibus ingredi ſinunt (*u*). Interim & heic adnotaſſe iuuat quod huiuſce lapidis icon ſiſtatur non parum a noſtro diſcrepans ſplendidi eiusdem Operis Tab. CXVII. Quod ad noſtrum pertinet Dendriten, ille quidem ſaxeus eſt, eiusdemque alterum ſpecimen colore luteo ad fuſcum vergente, exhibet figuras arbuſcularum nigricantes & quam in plerisque craſſiores vltra dimidium illius lateris extenſas, quas verſus apicem puncta itidem vel ſtellulae obſcuriores

 excipi-

(*s*) Tract. de Diluvii Vniuerſalis Teſtimoniis p. 168.
(*t*) e Celeberr. Scheuchzer. Phyſic. Sacr. p. 117.
(*u*) Allgem. Hiſt. Lexicon Tit. Sancta Catharina.

excipiunt, baſis autem ſtellarum ſimulacra ramulis interſtincta oſtentat inſigniora, in reliquis vero ſuperficiebus, vel arbuſculas obſcuriores, vel fucos vtcunque referentes maculas latiores, adeo vt hoc ſimul & *Dendriten* & *Phyciten*, & *Pſeudaſtroiten* & *Stigmiten* amoeno ſpectaculo ſiſtat, horumque cognationem euidenter manifeſtet; Alterum, quod ad purpureum accedit colorem, non diſſimiles habet arborum icunculas, ſed magis hinc inde diſperſas. Ex dictis facile apparet, has noſtras non parum differre ab illa ſpecie, quam *Dendroidem ſeu Marmor de Monte Sinai album arbore nigra ſubtiliter depictum* Kundmannus l. c. vocat, atque illa Ferrandi Imperati, cum qua collatum voluit *Dendriten Scanicum fruticeti exſurgentis ſubtilem imaginem eleganter exhibentem, in Agro Lydgothiano ad pagum Cropp repertum* b. m. laudatiſſimus Arch. Bromelius (*v*). Adeo vt incerti adhuc ſimus, annon detur alius his in locis Dendrites ab hoc noſtro diuerſus, potiore iure Sinaiticus dicendus, praeſertim cum Itinerariorum teſtimonia quoque haud deſint (*x*).

## §. VIII.

Porro non ingratum fore ſperamus Curioſo Lectori, ſi loca intra Patriam nobis nota, quae eiusmodi naturae illecebras produnt, diligentius commemoremus. Praeter vnicum illum ſupra §. VI. nominatum in *Oſtrogothia* inuentum, nullos adhuc in tota Suethia, niſi tantum in *Scania* noſtra repertus eſſe Dendritas, nobis innotuit; Eo autem frequentiores heic ſunt & elegantiores.

(*v*) Acta Lit. Sueth. Vol. 2. p. 310.
(*x*) vid. Petri della Valle Reis-Beſchreibung P. I. p. 118.

gantiores. In Territorio Lydgothiano primo ſeſe hoc nomine commendat pagus & mons *Croppenſis*, qui vti plurima alia naturae memorabilia, ita & elegantiſſimos Dendritas in ſilice ſeu ſaxo corneo partim albicante, partim nigricante offert. Sunt hi inprimis arbuſculacei, ſed inueniuntur etiam ibidem ſtellares, punctulati, fucoſi; & quidem adeo frequentes, vt admodum Reuerendus & Eruditiſſimus illius loci Sacerdos Dn. CASTANVS AVLINVS, Rerum Naturalium aeſtimator doctiſſimus, ingentem eorum numerum ad me miſerit; quorum non pauca ſeruo, permulta autem in Naturae Curioſorum intra & extra Patriam oblectamentum diſtribui. Deinde etiam in eadem Paroecia prope praedium Aſchebergianum *Roſendahl* nonnunquam Dendritae eiusdem quidem materiae ſeſe offerunt, ſed qui maximam partem Stigmitae characteres habent, & praeterea ideo notabiles, quod frequentiora in illis Radiolorum nec non Plantarum corallini generis ſubmarinarum veſtigia ſimul inueniantur. Hinc notandi ſunt, qui in eodem Diſtrictu ad Fontem ſoterium *Ramloeſienſem* & in vicino campo nonnunquam huius generis lapides reperiuntur: ſunt quidem illi interdum ſilicei Croppenſibus ſimiles, maxime tamen arenacei, & ob ruditatem Stigmitae potius, quam Dendritae dicendi. Tum latomia *Egnabergenſis* in Gothungia heic nominanda erit, quippe quae non tantum ingentem numerum corporum marinorum foſſilium largitur, verum etiam pulcriores Dendritas in ſaxo calcario marmoreo candido, cum arbuſculaceis, tum ſtellaribus figuris nigris in lutea vt plurimum ſuperficie depictos praebet. Poſthaec etiam mouendi ſunt in cam-

pis

pis *Lundensibus* diligenter lapides, cum praeter alia non pauca κειμήλια Naturae nonnunquam contineant tales arbuscularum vmbras. Tandem sicco, quod aiunt, pede praeterire non licet Cataractam *Forsakâr* dictum in Paroecia Degeberga & Gersiorum Territorio sitam, quod ad illam inuenimus Phyciten s. Dendriten maiores Fuci vel Quercus marinae ferruginei coloris figuras exhibentem in saxo communi, quod griseum vulgo audit. Denique Fodina Aluminaria *Andrarumensis* in lapide fissili nigro, praesertim illo Insectorum simulacris alias notabili, Dendriticas picturas adhuc atriores & obscuriores, sed quae breui euanescunt, nonnunquam exhibet; ibidem quoque Nobiliss. Dn. IOH. OL. RVDBECK Amicus honoratissimus reperit lapidem cinerei coloris lateribus angulisque obtusis & rotundatis, qui figuris stellaribus grandioribus & insignioribus vndique est ornatus.

## §. IX.

Tradita sic vtcunque Dendritae Historia, phaenomeni huiusce admirandi caussas quoque tradere pro viribus conabor. Celeberrimus D. Liebknecht (*y*) se in Dendritis exactissime depictas vix non omnes Muscorum familias a summo Botanico Dillenio constitutas (z), inuenisse existimat, adeoque etiam eorum originem Muscis in Cataclysmo illo maximo terra obrutis & postmodum petrefactis tribuit; Eandem de hisce lapidibus figuratis fouisse sententiam b. m. Perillustrem Dn. Bromelium certum est, dum Plantis accenset fossilibus

(*y*) Tract. iam supra citato p. 69.
(z) Catalog. Plantar. Giss. app. pag. 84. & seqq.

ſilibus ſeu Lithophytis (a). Neque commode negare poſſumus, non prorſus nullam ſimilitudinem eſſe figuris interdum Dendritarum cum diuerſis muſci ſpeciebus, potius & noſtra & aliorum experientia edocti aſſerere non dubitamus, illam haud eſſe exiguam; exactam tamen pronuntiare & abſolutam, prohibet ipſa veritas, quae adcuratius intuentem fugere diu non poteſt. Profecto ſi haec Clar. Liebknechtii verba: *Interea manent hic ramuli in muſco conſpicui, & ita manent, vt bene diſtingui queant, & fracti cauitates vndique referant*, in Dendritas rite quadrarent, quae quidem de Silicibus quibusdam noſtris muſcos marinos vel corallinos exhibentibus ſunt veriſſima, res illa eſſet extra controuerſiam poſita. At ipſe Laudatiſſimus Lithographus noſter non parum vacillare videtur, dum de ambiguitate nominis Lapidis ſtellaris differens, *Aſtroïtae*, inquit, *nomen, primo illis ſilicibus & fiſſilibus lapillis tribuitur, qui in ſuperficie ſtellulares icones vmbratiles depictas gerunt, & ad naturae luſus referri debent* (b). Ath. Kircherus has in Dendritis conſpicuas arbuſcularum ſyluarumque picturas, pro germinatione quadam verae analoga & a Seminio ſuo oriunda habet, vti haec eius probant verba: *Cum enim in terra lapideſcente variarum ſtirpium plantarumque pulueres inſint, in quibus vna cum exiguo calore neſcio quid ſpermaticum adhuc ineſt, quod in lapide adhuc molli materiem nactum vtcunque ad id aptam, cum plantarum ſubſtantiam ex ea materia conſtituere non poſſit, id quod poteſt, id eſt, ſolas in materia arborum herbarumque imagines, plaſtica facul-*



(a) Act. Lit. Sueth. Vol. 2. p. 309.
(b) Act. eorumd. Vol. 2. p. 369.

*facultate, quae seminali virtuti adhuc aliquo modo inexistit, depingit* (c). Verum non abs re dubitare licet, an planta in puluerem comminuta uim seminalem retineat, & an illi iure adscribi possit vmbratilis plantae in superficie lapidis eiusmodi delineatio. Ex semine enim euoluitur planta sui generis perfecta; atque adeo ex corpore organico oritur organicum, semen igitur quacunque ratione corruptum & destructum amplius non est semen, sed ad producendam vegetationem prorsus ineptum; adeo vt sine organismo & vita vegetatiua virtutem seminalem facultatemque plasticam concipere, res sit non omnibus aeque facilis. Quod si alii, qui lusui Naturae hanc rem adscribunt, Archeum quendam aut ideas formatrices in scenam producent, illorum quoque sententiam, quippe quae saltem meum superat captum, in medio relinquere cogor; sin vero per lusum concursum quendam causarum naturalium mechanice agentium, quanquam nondum qua omnes suas circumstantias satis perspectum intelligant, lubentissime accedo. Rem etenim quod aiunt acu tetigisse videntur imprimis ii, quicunque exhalationibus subterraneis vt causae, hoc phoenomenon attribuunt. Sic exempli gratia Imperatus modum fiendi ab exhalatione materiae bituminosae demonstrat (d). Clariss. Teichmeier *aquas vitriolicas per fissuras lapidum successiue penetrantes efformare inibi eiusmodi fruticum figuras* asserit (e), a quo certe non longe discedo, quando

(c) Mundi Subterr. Tom. 2. p. m. 39.
(d) Hist. Natur. Lib. 24. cap. 34. referente Cl. Kundmanno Prompt. R. N. & A. Wrat.
(e) Elem. Phil. Natur. Experim. p. m. 176.

do exhalationibus metallicis imprimis martialibus admirandam hanc & amoenam naturae artem topiariam praecipue defero (f). Sed in vlteriorem huius argumenti dilucidationem & probationem quaedam afferre constitui, vel saltem pleraque iam antea allata, denuo in nostros vsus conuertere.

§. X.

Quae itaque sequuntur circa ipsum hunc lapidem obseruationes dignae equidem sunt, quae rite perpendantur.

I. Et quidem primo quod hae arbuscularum, fucorum, stellarumque effigies maxime in lapidum horum fissuris ac commissuris, seu rimis subtilioribus occurrant in superficie tantum adumbratae, nec nisi rarissime ipsam substantiam penetrantes interiorem.

II. Deinde quod color luteus atque ater, vterque ferri quasi natiuus, in hisce picturis omnium soepissime sese manifestet.

III. Tum quod ipsi etiam lapides non raro indolem per se prodant martialem, nec non, quod in iisdem locis, vbi inueniri solent, non adeo infrequentes sint Pyrites, Geodes, Ochra, quae profecto non inepte steriliores ferri minerae salutari possunt.

IV. Hinc, quod adeo ipsi Dendritae nonnunquam splendorem ferreum, nemini non facile dignoscendum, quasi plumbagine essent confricati, exhibeant.

V. Porro quod colores caudae pauonis salinarum, sulphurearum, metallicarumque partium certa & fere perpetua in fossilibus indicia non tantum conspiciantur

 soepius

(f) Act. Lit. & Scient. Sueth. A. MDCCXXX. p. 67.

ſoepius in ſupra memorato lapide fiſſili aluminoſo, cui non abs re adiungimus Cl. Scheuchzeri *Lapidem foſſilem cinereum, ornamentis foliaceis viridibus & coeruleſcentibus pulchre notatum Franckenbergenſem aeriferum*, Fliegen-Fittich *vulgo dictum* (g); verum etiam in Dendritis ſiliceis Croppenſibus elegantioribus haec colorum varietas, prout diuerſa ſpecimina teſtantur, demonſtrari poſſit.

VI. Inſuper quod in praedicto lapide fiſſili aluminoſo breui diſpareant figurae Dendriticae, quod etiam de illis Montis S. Catharinae refert Buddei Lexicon Hiſtoricum Tit. S. Cathar. his verbis: Dieienige welche von dieſem Berge herab kommen, leſen insgemein unterſchiedliche Steine zuſammen, auf welchen die Figuren der Blåtter, Kråuter und Båume in ſchwarzer Farbe recht lebhaft ſtehen, und wenn man ſie zerbricht, ſelbige dennoch in ihren innern Theilen behalten; allein wenn man mit der Hand darůber fåhret, gehet alles aus; quod quidem de omnibus non eſſe verum probant ſpecimina, quae manibus ſoepius triuimus, noſtra. Veriſſimum autem eſt, pleroſque Dendritas per ignitionem picturas ſuas penitus deperdere.

VII. Tandem quod fere ſemper a radice ſaturatius tincta atra vel ferruginea exteriori margini propiore haec arbuſta exſurgant, & vtplurimum verſus medium ſeu centrum extendantur.

VIII. Denique quod non ſit confuſa & indigeſta figurarum congeries, qualem tamen praeſupponere origo e ruina tanta, quanta per diluuium vniuerſale conti-

(g) Oryctograph. Helv. p. 247.

contigit, iubet; sed elegans & satis ordinata dispositio, quod vel inprimis demonstrat Lapis fissilis albus Oeningensis, quem rursus Spectatiss. Dn. LINCKIO Lipsiensi, acceptum refero, in quo perelegans piscis figura, circumcirca eiusmodi Dendriticis ornamentis cincta conspicitur, arbusculae autem illae e piscis corpore tanquam communi fundo vndique eriguntur (h). Tab. IV.

IX. Vltimo quod perquam vario haec arbustorum syluarumque simulacra schemate ludentia, rarissime exactam alicuius plantae effigiem exprimant, longissime autem a Phytolithorum quorumuis indole recedant, cum hi impressa herbarum foliorumue vestigia vtplurimum quodammodo excauata, & cum suo ectypo adcurate conuenientia, referant; Dendritae vero vix non semper, vtut pulcerrimi, vegetabilium veris notis & constanti proportionis lege destituantur: Quid quod soepe etiam figurae in illis occurrant, eiusdem originis & indolis, quae potius alias res, quam plantas sistunt.

§. XI.

Hisce iam allatis obseruationibus, quas ipsi subministrarunt Dendritae nostri, nonnullas alias aliunde conquisitas, & experimenta hoc nostrum negotium illustrantia subiungere e re duxi. Res est notissima, metalla quaedam, inprimis autem perfectiora illa, Aurum puta & Argentum in fodinis inueniri natiua, figuras arbuscularum & fruticum aemulantia, prout satis numerosa in Metallurgorum scriptis, curiosorumque museis huiusce rei exstant testimonia: sic e. gr. Clariss. Bruck-



(h) Conf. Celeb. Baieri Supplem. Oryctogr. Noric. p. 48.

Bruckmannus gediegen fein Gold wie Bäumgen gewachsen recenset (i). Argenti autem natiui capillacei elegantem figuram sistit Beslerus (k). Sed elegans etiam aeris eiusmodi natiui specimen quasi vegetabile his verbis e Museo Dn. Ernest. Beni. a Löwenstedt & Ronneburg commemorat Clar. Kundmannus: *Auch hat er vielerley Sorten von Ungarisch gewachsenen Kupfer, und ist vornemlich ein kleines Bäumgen auf einen grauen Stein stehend anschauenswürdig* (l), vbi etiam talis *ferri minerae rarissimae e Suethia nostra allatae* meminit, vt alios huius veritatis testes breuitatis caussa reticeam. Neque possum non hic in mentem mihi reuocare germinationem aliam subterraneam physicis quoque haud ignotam, Florum scil. Martis sic dictorum, quod e ferri mineris nonnunquam propullulent, & striatas ramosasque Coralliorum arbusculas repraesentent (m). Horum etiam non inelegans e media lapidis cornei globosi cauitate progerminantium exemplar, in campis arenosis Engelholmensibus inuentum asseruat Lithophylacium nostrum. Vlterius heic adnotare iuuat elegantissimum illum naturae lusum, licet iam ante vel lippis & tonsoribus satis notum, quod scilicet vapores versus fenestras in hyeme condensati & congelati, atque sub ipsa congelatione ab aere interno calidiore motitati, innumeras fere figuras iis non dissimiles, quae

(i) Magnal. Dei in locis Subterr. P. I. p. 245.
(k) Gazophyl. Tab. 25.
(l) Lib. cit. p. 65.
(m) Icon horum vid. Besleri Gazophyl. Tab. 28. descriptio autem succincta traditur in Minerophili Bergwerks-Lexico Tit. Eisen-Bluhmen.

quae in Dendritis deprehenduntur, repraesentant; quo autem minor fuerit vaporum copia & caloris gradus, eo etiam exactiora in illo conclaui fenestris obtingunt haec ornamenta, vt vere diceres omnem Dendritarum apparatum stellatorum, arbusculaceorum & punctulatorum industria expressum ibidem comparere. Cuius rei testem grauissimum Clariss. Scheuchzerum, qui *Dendritas niuosos & glaciales, quos iucundissimo spectaculo obseruauit rigidissima, quae Annum MDCCXVIII & MDCCXXIX. intercessit, hyeme in valuis Vsterianae, quae Tiguri est, domus*, repraesentat, adducere lubet (n). Quid quod ipsa *figura* ἀστροειδὴς *niuis regularissima* ab ipso hoc auctore & aliis curiosissime obseruata & ibidem depicta, huc facere videatur. Huic autem non immerito subiungam obseruationem Nobilissimi Swedenborgii circa *nouam germinationem aquae purae in glaciem conuersae* (o). Haec vero, quae in aqua, quam sensus nostri puram iudicant, fiunt, multo magis se manifestare solent in illis, quae diuersis salibus sunt impraegnatae; vti testimonia fere innumera Hermeticorum ac Philosophorum per ignem, qui hoc modo sese plantarum Palingenesiam, vel saltem eiusdem rationem inuenisse gloriantur, euincunt. Sic exempli gratia Luidius exhibet figuras in *vrina conglaciata* obseruatas (p). Miscellanea A. N. C. *Lauendulae syluam ex salibus suis resuscitatae* tradunt (q). Acta Hafniensia diuersa experimenta huc certe referenda

(n) Phys. Sacr. Tab. DXXX. fig. A & B.
(o) Miscellan. Observ. p. 129.
(p) Lithophyl. Brit. Ichnogr. p. 122.
(q) Anni IIX. Observ. IX.

da ſubminiſtrant (r), vt alia breuitatis cauſa taceam. Quid, quod & ſalium volatilium quorundam concretiones heic adcuratam inſpectionem mereantur. Neque heic prorſus nulla habenda eſt ratio experimenti illius Hermetici omnium fere Chymicorum Phyſicorumque libris celebrati, quod *Arboretum Dianae* vocitant; Etenim tali arte pro varia metallicarum, ſalinarum, humidarumque partium miſcela & proportione, innumeris fere modis varia arborum arbuſtorumque ſimulacra repraeſentare licet. Diuerſos arbores eiusmodi philoſophicas conficiendi modos tradit Cl. Teichmeyer (s). Singularem autem obſeruationem ſuppeditat Thom. Bartholinus (t). Quod ſi vnquam ſuccedat labor ille, quem ſub titulo *Reſuſcitationis Herbarum, Florum &c.* praeſcribit I. Helfr. Iungken (u), cuius nondum periculum fecimus, certe non diſſimili ratione explicandus erit. Tandem vnicum adhuc, vtut vulgare & ſimpliciſſimum omittere non poſſum experimentum, vtpote quod huc apprime quadrare videtur: quando pigmenta in Porphyrite terimus, & iisdem in pollinem ſubtiliorem iam redactis, ſubito lapidem ſuperiorem fortiter & aequaliter ſurſum attollimus, videbimus ab irruente aere, materiam hanc pultaceam in arbuſcularum ſimulacra cogi & efformari, adeoque Dendritas non inelegantes exprimere; quod ideo etiam Cl. Mylius huic phaenomeno explicando dextre applicauit. (v).

§. XII.

(r) Tom. I. Obſerv. XLII.
(s) Elem. Philoſ. Nat. Exp. p. m. 89. & Inſt. Chem. p. m. 211.
(t) Act. Haf. Tom. II. p. 58.
(u) Lex. Chymico-Pharm. p. m. 193.
(v) Memorab. Sax. Subt. P. I. p. 52.

## §. XII.

Ex hisce iam praemissis satis euidenter confidimus demonstrari posse, primo naturae vi, sine virtute aliqua plastica, aut quacunque verae germinationis analogia, oriri posse eiusmodi figuras, quae fruticeta, arbuscula aliasque res adumbrant. Secundo, longe alio modo se habere snperficiarias & superlitas has plantarum delineationes, tumultuarie quasi a natura peractas, ac vera illa vestigia & vt plurimum epiglyphicas partium organicarum, iusta figura & proportione expressarum, imagines in genuinis illis Phytolithis cuiuis illos adcuratius intuenti obuias. Tertio, rationi & experientiae maxime consentaneum esse, hos elegantiores naturae pictricis conatus deberi vaporibus plus minusue metallica salina atque sulphurea exhalatione foetis, qui eiusmodi lapidum rimas, quanquam subtiliores ingressi condensantur, coagulantur & sub varia materiae fluidissimae motitatione, partiumque grauiorum subsidentia exsiccantur, & talia post se relinquunt vestigia. Hinc quarto, si qui sint, qui reuera characteres Phytolithorum genuinos habent, illos esse omnino a Dendritis distinguendos, & legitimo suo generi reddendos; forte autem nonnullos physicos, suis praeiudiciis nimium indulgentes, hos non rite semper diiudicasse. Quamobrem non possumus non maximi facere testimonium Viri probatissimi & rerum naturalium notitia consummatissimi, Celeb. Dn. IOSEPHI MONTI in Alma Bononiensi Vniuersitate Botanices, in Academia autem Scientiarum ibidem florente, quae *Instituti* dicitur, Historiae Naturalis Professoris longe famigeratissimi, cuius haec sunt in Literis ad me VII.

Kalend. Febr. h. a. datis, verba: *Quae de Scanicis Dendritis ſcriptis tradidiſti, haud parum nobis placuerunt, quoniam ea eſt de ipſis noſtra quoque ſententia, nunquam ſcil. Dendritas commiſcendos eſſe cum Phytolithis ſeu plantis foſſilibus, vt perperam a nonnullis factum fuit. Non tamen adeo facile vt credamus adducimur, Dendritas quoscunque muſcos praeſertim, algas & fucos referentes, his vegetabilibus originem debere, quin potius naturae luſu ex fluido metallicis particulis ſaturato, inter terrae ſtrata quondam permeante, ipſos efformatos fuiſſe, exiſtimemus. Vnicum tantum idque perrarum ſpecimen ad noſtras hactenus peruenit manus, lapidis in quo reuera genuini paluſtris muſci veſtigia conſpiciuntur; quantumuis ex variis regionibus Dendritae plures inter foſſilia noſtra occurrant.* Cui exactiſſimae Viri ſummi ſententiae ſubſcribens, finem huic diſquiſitioni imponerem, niſi e re noſtra fore exiſtimarem, pauciſſimis commemoraſſe phoenomenon in hoc noſtro Territorio obſeruatum. In Paroecia Hardeberga ad Villam Fugleſâng olim in vſus militares erutos fuiſſe pyritas, res quidem eſt notiſſima. Hi tanquam glandulae inhaerent lapidi fiſſili nigro, variis rerum marinarum, *pectinum* ſc. *Chamarum* & praecipue *acuum marinarum minimarum* veſtigiis inſigni; cuius ingens ſtratum mox humum excipit, vbique rubigine ſua indolem martialem ſatis ſuperque prodens. Inprimis autem peculiaris eſt montis huius tractus, in quo inter ſingulas lapidis tabulas efflorentiae quaedam albae, ſubtiles, Cryſtallinae vel potius Seleniticae, pilis maioribus vix maiores, figurae vtplurimum Rhomboidalis, inveniuntur, inſipidae quidem, nec

Tab. III.

1




2




3




4



5



6



7



nec in aqua ſolubiles; Verum ſi aliquamdiu hi flores cum ſuis lapidibus ſub dio aeri committantur libero, toti fere in ferruginem, vel vti loquuntur Chymici, crocum martis abeunt, qui magis magisque ab humido aereo ſolutus ſtigmata relinquit illis non diſſimilia, quae in Dendritis quibusdam occurrunt, ſed ſimiliora fortaſſis & inſigniora, niſi obſtaret lapidis nigredo.

## §. XIII.

Coronidis loco ſubnectam iam indicem eorum Dendritarum cognatorumque lapidum in Lithophylacio noſtro Lundenſi aſſeruatorum, qui huic noſtrae Lucubrationi aliquam lucem foenerare poſſe videntur; ſunt autem eorundem ſpecimina, quae ſequuntur, praecipua.

1. Dendrites, ſeu quod fucum vel quercum marinam referat, Phycites in ſaxo vulgari, quod griſeum dicitur, ad Cataractam Forſakâr in Paroecia Degeberga, Territorii Gerſenſis. Tab. V.
2. Dendrites arbuſculis nigris in ſuperficie flaua ſaxi calcarei albi notatus, e Lapicidina Egnabergenſi in Gothungia; huius icon exhibetur Act. Lit. & Scient. Sueth. A. MDCCXXX. Tab. I. fig. 10.
3. Dendrites candidus ſtellulis & arbuſculis nigris pictus, ad Pſeudaſtroitas referendus ex eadem Latomia. Tab. III. fig. 6.
4. Chama foſſilis parua Dendrite ornata e Latomia Egnabergenſi. Tab. III. fig. 3.



5. Den-

5. Dendrites, Phycites alias dictus, minoris fuci effigiem exhibens, in ſilice vulgari ſeu ſaxo corneo, ex agro Croppenſi Territorii Lydgothiani.

6. Dendrites elegans fruticeti exſurgentis e fundo atroferreo imaginem referens in ſilice vulgari cinereo: huius effigiem Acta ſupra memorata praebent Tab. I. fig. 7. & 8.

7. Dendrites fruticulis ſimul & ſtellulis ornatus, in ſilice candicante.

8. Dendrites muſcum marinum, cornu ceruini inſtar ramoſum, adumbrans, ad Phycitas, ſi placet, referendus, in materia parili loci eiusdem.

9. Dendrites muſcum craſſiorem filicinum nigerrimum vtcunque referens, in Pyromacho vulgari.

10. Dendrites arbuſculis inſignioribus atro luteis ſiliceus candicans Croppenſis.

11. Dendrites ſyluulam denſiſſimam e muſco capillaceo tenuiſſimo fuſci coloris compoſitam ſiſtens in Pyromacho ſeu ſilice albicante.

12. Dendrites fruticulis nigris in cruſta cretacea ſilicis vulgaris cinerei.

13. Dendrites ſubtiliſſimis arbuſculis circulo metallico ferrugineo incluſis in ſilice vulgari cinereo ibidem inuentus.

14. Dendrites muſcum tenuiſſimum ſeu Conferuam cum criſtallinis efflorescentiis exhibens, ſiliceus.

15. Dendrites arbuſculis luteis ſubtiliſſimis, in ſilice vulgari.

16. Den-

16. Dendrites arbuſculis nigris, cum ramo inſigni nudo excurrente, in ſilice vulgari.

17. Dendrites elegentioribus & exilioribus fruticulis nigris, & ſimul ſplendore metallico variorum colorum, praeſertim ferreo conſpicuus, in ſilice vulgari.

18. Dendrites ſtellaris ſeu Pſeudaſtroites ſiliceus.

19. Dendrites ſeu Pſeudaſtroites, Lunam, Stellas, duas Cometas crinitos, nubesque ſpectaculo mirando exhibens in ſilice vulgari; Figuram huius vide ſis Act. Lit. & Scient. Sueth. An. 1730. Tab. I. fig. 9.

20. Silex ſeu pyromachus vulgaris auiculae figura inſignitus, forte *Geranites* Plinii, Croppenſis. Tab. III. fig. 5.

21. Saxum ruffum maculas craſſiores atras ferrugineas habens, Dendritae cognatum quoque Croppenſe.

22. Pyromachus ſeu ſilex vulgaris per medium fiſſus, cuius ſuperficies ſibi antea contiguae, colore ferreo ad coeruleum vergente ſunt oblitae, in cuius medio maculae rudes quaſi pulueris atri ſubſidentis reliquiae conſpiciuntur.

23. Dendrites & Pſeudaſtroites ſimul, elegans fruticetum cum ſtellis maioribus minoribusque, exhibens, ipſo Sinaitico vix inferior, in ſilice albicante agri Croppenſis.

24. Dendrites fruticulis & aſteriſcis ſeu punctis e radice atro ferruginea prodeuntibus pictus, in pyromacho

 vulgari

vulgari cinereo ad praedium Rosendahl inuento eiusdem Territorii. Tab. III. fig. 4.

25. Dendrites fruticetum ſubtile & elegans a fundo ferrugineo quaſi propullulans in pyromacho ſeu ſilice vugari candicante.

26. Dendritae cognatus, circulo viridi quaſi ex muſco ſubtiliſſimo confecto ornatus, ſilex vulgaris ad idem praedium quoque inuentus.

27. Dendrites ſtellulis & fruticulis inſignis in ſilice vulgari. Tab. III. fig. 2.

28. Dendrites obſcurior in lapide cinereo.

29. Dendrites ſtellaris ſeu Pſeudaſtroites ſtellulis minutiſſimis in ſilice vulgari.

30. Dendrites ſeu Pſeudaſtroites ſtellulis minoribus & rarioribus.

31. Dendrites vel Pſeudaſtroites notis ſtellaribus minutioribus & obſcurioribus, ſeu potius punctis nigris conſperſus, ſilex vulgaris ſtigmitis accenſendus, cui quoque impreſſum eſt Radioli oblongi & ſtriati veſtigium ad praedium Rosendahl Tab. III. fig. 7.

32. Alius eiusdem cenſus, cui ſimul plantarum corallini generis portiones iacent immerſae, eiusdem loci.

33. Dendrites denſiſſime ramulis & ſtellulis pictus, in ſilice partim cinereo, partim luteo, ad pagum Ramloeſa prope Helſingburgum inuentus.

34. Den-

34. Dendrites vel Pſeudaſtroites vilior punctis ſeu ſtellulis nigris rudioribus, in cote ſeu ſaxo arenario Ramloeſienſi ferrugineo, alias Stigmites dictus.

35. Dendrites ſtellaris ſeu Pſeudaſtroites inſignioribus figuris diſtinctus, in lapide cinereo ad Aluminarias Andrarumenſes. Tab. III. fig. 1.

36. Dendrites obſcurior & breui euaneſcens, in lapide fiſſili aluminoſo inſectifero Andrarumenſi.

37. Lapis fiſſilis niger Hardebergenſis, cum efflorentiis capillaceis ſeleniticis, quae in aere fatiſcunt in crocum martis, & denuo figuras Dendritae non diſſimiles efficiunt.

38. Dendrites fruticulis nigris in pyromacho nigricante agri ſuburbani Lundenſis.

39. Dendrites ſeu Phycites ſiliceus elegantior fucum teneriorem nigerrimum repraeſentans, ad Arcem Regiam Fridensburgum in Selandia inuentus.

40. Dendrites circumcirca arbuſculis & ſtellulis ſubtiliſſimis ornatus in ſilice candicante eiusdem patriae.

41. Dendrites rotundus Maslenſis e Sileſia.

42. Dendrites Maslenſis alius planus, Lichenoidis non diſſimiles figuras atriores & craſſiores exhibens.

43. Dendrites Planitzenſis marmoreus figuris craſſioribus, e Sileſia.

44. Dendrites in Iaſpide rubro & viridi Landshutenſi, e Sileſia.

45. Dendrites elegantiſſimus in lapide fiſſili marmoreo candi-

candido, e Lapicidina ad pagum Solnhof, Comitatus Papenheimenſis.

46. Dendrites Lichenoidis cuiusdam effigiem, pictura flaua exhibens, in lapide fiſſili eiusdem coloris, indolis & loci natalis. Tab. II. fig. 3.

47. Dendrites Lichenoides minor obſolete ruber, in lapide fiſſili cinereo talcoſo Gieshubelienſi e Miſnia.

48. Os foſſile, ſeu vnicornu officinarum, dendriticis picturis exiliſſimis ornatum, incerti loci in Germania.

49. Ichthyites in ambitu Dendrite ſubtili ornatus, in lapide fiſſili albo Oeningenſi e Sueuia. Tab. IV.

50. Sarda rubra muſci atram figuram includens Orientalis.

51. Sarda alba punctis ſanguineis notata, vulgo Gemma S. Stephani dicta, e Sileſia.


52. Dendrites Sinaiticus (qui & vulgo marmor de Monte Sinai dicitur, potius de Monte S. Catharinae dicendum) arbuſculis nigris inſignioribus in ſaxo luteo, baſi ſtellaribus quoque notis ornata. Tab. II. fig. 1. & 2.

53. Dendrites eiusdem loci arbuſculis magis ſparſis in ſaxo partim luteo, partim purpureo.


Tab. XXXX.



Tab. V.



P



# IV.

# ᛘᛁᚯᛚᛚᚿᚢᚼᛆᛘᛆᚱ ᚦᛆᚱᛋ

SEV

# CERAVNII BETVLIQVE LAPIDES

## DISSERTATIONE HISTORICA ILLVSTRATI

Anno S. R. MDCCXXXVIII.

---

## CAPVT I.

### DE CERAVNIIS IN GENERE, SPECIATIM VERO DE NATVRALIBVS.



### ARGVMENTVM.

§. I- *Quaestionem, an detur lapis fulminaris esse superuacaneam, nec huius loci.*

§. II. *Opinionem hanc plurimis gentibus communem produxisse lapides bene multos & toto coelo diuersos, perperam meteoricos & originis coelestis creditos.*

§. III. *De Brontia & cognatis.*

§. IV. *De Glossopetra.*



*ʃ. V. De Belemnite qui etiam Ceraunitis, Coracias, Dactyli Idaei, Corybantes, & Lyncurius dicitur.*

*ʃ. VI. De Aſtroite & Dracontio.*

*ʃ. VII. De lapide vaccino & Calculis ripariis* Godbonde- *vel* Kampe-ſtenar *vulgo dictis.*

*ʃ. VIII. De Cryſtallo, Iride, Androdamante Plinii ſecundum Scheuchzerum, Opalo, Hyacintho aliisque gemmis & lapidibus, Ceranniorum titulo aut virtutibus ab auctoribus variis, inſignitis.*



## §. I.

Quaeſtionem diu multis diſputatam, iam vero ante dimidium ſeculi, vel quod excurrit, antiquatam & obſoletam, *an in lapide quodam intra nubes generato mira fulminis vis conſiſtat*; vel *an Ceraunius ſiue cuneus fulminaris, reuera talis, detur?* denuo recoquere, & tanquam cramben biſcoctam, delicato Lectori apponere, minime equidem operae pretium putamus. Non enim adeo prodigioſa eſt noſtri ſeculi credulitas, vt incredibilium quarumcunque & naturae repugnantium rerum, ab hiſtoricis non ſatis doctis male obſeruatarum, & memoriae proditarum rationibus cauſisque indagandis operam ſuam gnauiter dent, aſt omnino gratis, Philoſophiae naturalis ſtudioſi. Luna, lacte, cruore, carne, ferro (a), lapidibus, piſcibus, ranis, crucibus, vitulis, lateribus coctis (b) muribus (c) &c. olim pluiſſe, imo ſaxa molis ingentis & ſtupendae aliquando coelo decidiſſe, veterum ſcripto-

rum

rum monimenta perhibent. Certe lapides circiter MCC, & inter hos vnum CXX pondo, alterum ſexaginta, in agrum Abduae fluuio conterminum A. MDX. e coelo cecidiſſe, fidem facere conatur Cardanus, addens colorem horum ferrugineum, duritiem eximiam, odorem ſulphureum fuiſſe; praeceſſiſſe autem in coelo hora tertia ingentem ignem, decidentium vero ſtrepitum hora quinta exauditum, vt equidem mirum ipſi non immerito videatur, duabus horis tantum molem in aëre ſuſtineri potuiſſe (d). Geſnerus quoque Enſishemii Ao. MDXCII. lapidem CCC. librarum pondere coelitus delapſum, ibique in templo ſuſpenſum aſſeruari aſſerit (e). Quae quidem, & eiusmodi alia, hodie plerisque videntur vix maiorem mereri fidem, quam quae de caſa illa, ſacroſancta ſcilicet, Lauretana, ab angelis e Palaeſtina primum in Dalmatiam, & deinde in Italiam translata referunt Romanenſes (f); aut ſaltem Poëtis Iouem, vt amplexibus Danaës potiretur, in imbrem aureum transmutatum eſſe, ſcribentibus (g) non magis adiudicandam eſſe fidei auctoritatem, quam hiſce Hiſtoricis, ſapientiores iudicabunt. Interim tamen cum maiores noſtri eiusmodi hiſtoriolas pro veris admiſerint, mirum vtique non eſt, illos Ceruniarum, Ombriarum, Belemnitarum, Notiarum, aliorumque lapidum in coelo nubibusque generationem ſibimetipſis aliisque perſuaſiſſe & in eiusdem rationibus manifeſtandis incaſſum deſudaſſe. Nos autem, qui hiſtoricae, ſiquidem hoc nomine digna, auctoritati aliam certiorem ac probatiorem opponere non detrectabimus (h), non tantum hanc quaeſtionem prorſus miſſam facimus, verum vltro etiam adcuratiorem cauſarum, natalium

& effectuum fulminis indaginem Physicis relinquimus; quippe quod argumentum cum nostro nullam habet cognationem, praeter illam, quam totam praeiudiciis & erroribus vulgi acceptam referunt cordatiores naturae consulti.

(a) Plin. Hist. Natur. Lib. II. cap. 56. (b) Voss. de Theolog. Gentil. Lib. III. cap. 12. & Cardan. de Subtil. Lib. 16. p. m. 522. (c) Scaliger. Exercit. 192. nec non Vormii Museum p. m. 326. (d) Cardan. de varietat. rerum Lib. 14. cap. 72. (e) Gesnerus Lib. de fossil. pag. 66. citante Anshelmo Boëtio. (f) Missons Reise nach Italien p. 403. (g) Horat. Carmin. Lib. 3. od. 16. (h) Exempli gratia vid. sis Act. Lit. & Scient. Sueth. anni MDCCXXXI. p. 21. nec non Doct. M. G. Blocks anmärkning til Ioh. Spencers Book om widunder och betydande teckn pag. 38. lit. ο item pag. 45. lit. σ. cuius haec sunt verba: Ahr 1708 i Augusti månad gick öfwer hela Norköping et thal, som woro et underligit diur med regnet efter et starkt åskiedunder thersammastädes nedfallit af skyarne; hwilket når jag närmare undersökte och efterfrågade, befants wara en flädd eller skallot Siälunge, som warit af sämskemakare funnen i en tunna tran, och för des onyttighet utkastad på gatan.

## §. II.

Stupendas fulminis vires cum semper mortales admiratione contemplati sint attonita; effectus autem ipsos non admodum dissimiles esse operationibus, quas ipsi quotidie percutiendo, contundendo, perforando, findendo & dedolando, claua, malleo, terebra, cuneo atque ascia edunt, viderint; non dubitauit foecunda illa

illa opinionum mater, imaginandi facultas, experientia certiore adhuc quidem destituta, causam praesumere his quodammodo similem. Interea tamen cum nemo hanc ipsam oculis suis rite obseruauerit, mirum vtique non est, quod in illa determinanda vulgus indoctum pariter & doctum, perquam inconstans incertumque multum errauerit & nunc hanc, nunc aliam scientiae naturalis studiosis, iam antea praeiudiciorum veterno occoecatis, spectandam exhibuerit. Hinc tot variantes lapidis fulminaris descriptiones; tot inquam, lapides fulminares, toto coelo diuersi saltem nomine & titulo tales, qui equidem cum operosis istis verbosisque descriptionibus minime congruunt. Quid quod ex tanta varietate lapidum pro meteoricis vulgo habitorum ne vnicum quidem specimen, quod cum idea adcuratius, si Diis placet, philosophantium conveniret, producere liceat; plurima autem huic prorsus contraria, quae tamen inueterata multorum seculorum opinio atque superstitio magnificis adeo titulis condecorauit. Sic exempli gratia malefida physicorum Scholasticorum oracula perhibent, fulminarem hunc lapidem esse durissimum, qui omnem (a) ferri chalybisque vim, atque adeo omnem quoque poliendi artem eludat; at quis talem vnquam vidit? quicunque vero vel fugitiuis oculis res naturales intuitus fuerit, inuenit certe sat multos mollioris materiei huius census lapides Belemnitas, Brontias aliosque, omnes insuper quotquot viderit, vtut duriores ad eiusmodi effectus edendos non satis idoneos. Interim tamen errorem hunc satis manifestum non vnicam

cam ſolum gentem occupaſſe, ſed ad omnes fere populos

— — — *qui ſunt a Gadibus vsque*
*Extremum ad Gangem* — — —


dimanaſſe; pleroſque autem non vnicum aliquod lapidum genus, ſed diuerſiſſimos, quotquot ſcilicet ſingulari figurae, coloris aut lucis praerogatiua inſignitos, miratum eſt vulgus, e coelo dimiſſos eſſe crediditiſſe, atque quod in ipſo fulmine perperam venerati ſint numen, ex hiſce lapidibus prorſus diuinas pollicitos ſibi fuiſſe virtutes, literarum monumenta docent; vt etiam ex iis, quae infra ſequentur, luculenter patebit. Vt autem eo magis Beneuolus lector vanitatem incertitudinemque huiuſce doctrinae, licet antiquitatis gloria nulli ſecundae, percipiant; e re noſtra fore exiſtimauimus, heic mox in limine diſſertationis diuerſa lapidum enumerare genera, quae pro fulminaribus aut meteoricis ſunt venditata, & tanquam certiſſimum Palladium ſollicite adſeruata.

(a) vide ſis Keckermanni Phyſ. lib. VI. cap. 6. Voſſ. de Idololat. Gent. lib. III. cap. 7. & Magiri Phyſiolog. Peripateticae lib. IV. cap. 4. At Scharſius tamen putat lapidem fulmineum demum generari in terra arenoſa, quam vbique inuenit halitus ille detruſus: cuius flamma arenam facile in lapidem coagulat liquando. Phyſ. Special. lib. III. cap. 3.

§. III.

## §. III.

*Echinites.*



Primo itaque Brontiam cum cognatis breuiter defcribemus; cum vel ipfum nomen, quod cum illo Cyclopum, qui Ioui fulmina, affirmantibus Poëtis, cudere folebat, commune habet, terribile quid & fublime fonet; deriuatur enim a Graeco βροντή, quod tonitru fignificat. Coeleftem etiam originem, non tamen fine omni haefitatione, Plinius his teftatur verbis: *Brontia capitibus teftudinum fimilis, & cum tonitruis cadens, vt putant, fulmine icta reftinguit, fi credimus.* Et paulo inferius: *Ombria, quam aliqui Notiam vocant, ficut Ceraunia & Brontia cadere cum imbribus & fulminibus dicitur, eundemque effectum habere, quem Brontia narratur* (a). Quae quidem non minus verifimilia videntur, quam quae de oui lapidei generatione e fufflatu anguium fufe commemoratidem auctor (b). Quicunque hifce rebus fidem habent, nae eandem etiam non derogabunt caeteris fcriptoribus, vtut nimium credulis & nugiuendulis, qui docent, hos omnes lapides geftanti victoriam conciliare, atque ab eodem magna arcere pericula. Facile etiam mulierculárum noftratium, hifce lapidibus ineffe vim fugandi quosuis malos genios, ac inprimis incubos, non dubitantium, & ideo non tantum

tum vernacula lingua Mareſtenar dicentium, ſed etiam contra incantationes adhibentium, praecipue vero vaſi butyraceo, ne a Sagis butyri confectio impediatur, indentium, prudentiam collaudabunt (c). *Brontiam* autem, *Ombriam*, *Notiam*, *Ouum anguinum*, *Chelonitidem*, *Batrachitas* quosdam ſeu *Bufonios maiores* ad vnum idemque genus lapidum figuratorum referendos eſſe, & eorum ortum natalesque non e coelo, ſed potius ſalo ſoloque arceſſendos, facile cuiuis, res haſce adcuratius conferenti & examinanti in propatulo erit. Hinc hodierni phyſici *Echinitas* appellare malunt & hos diſtinguere in *ouarios*, *mammillares*, *laticlauios*, *cordatos*, *pileatos*, *galeatos* & *peltatos* (d). Nam ſiue haemiſphaerico-ellipticam figuram; ſiue quinos iſtos linearum geminatarum ex punctis geminatis ordines aequali fere diſtantia a vertice ad baſeos centrum excurrentes; ſiue areolas intermedias, vt plurimum quadratas, nonnunquam etiam hexagonas; ſiue ipſas papillas adhuc in quibusdam vna cum teſta conſpicuas, ſaepius autem lapidi corneo impreſſas, interdum etiam in fragmenta diſſolutas, & inter alia marinae originis foſſilia occurrentes; ſiue integras & concauas cruſtas in ſpathum vel ſeleniticam ſubſtantiam conuerſas, & intrinſecus cryſtallis ornatas; ſiue denique aciculas vel radiolas, aut ſuis veſtigiis lapides corneos conſpicuos reddentes, aut in ſeleniticam ſubſtantiam permutatos conſideremus: vtique vel inuiti fateri cogimur, praedictos omnes lapides animali marino cruſtaceo, quod Echinus dicitur, eſſe perquam ſimiles, neque aliunde ſuam nactos fuiſſe figuram; verum omnem in iisdem differentiam deberi ſpeciebus huius animalis diuerſis,


materiae

materiae insuper non vni eidemque, atque iniuriis, quae in tanta rerum perturbatione & ruina obtigerunt ex agitatione, allisione, compressione, diffractione, solutione, induratione ipsaque adeo petrificatione (e). Quamobrem huic etiam vero suo generi reddimus *ceraunium*, quam *ab hoc* (sc. Brontia) etsi simili forma haemisphaerica sit, *differre*, *quod laeuis sit & nullas eminentias* habeat, scribit Lithographus (f). Certius autem adhuc quosdam *Rumphii ceraunios*, ad hanc familiam referendos esse, putamus, quod vna cum iconibus descriptiones satis superque probent, illos esse veros Echinitas (g). Quo magis mirari liceat, virum de rebus naturalibus meritissimum, & in iisdem ordinandis alias solertissimum, praeiudiciis vulgi adeo fuisse obnoxium, vt qui ipse & Echinos plerosque & inde orta fossilia rite obseruauerit, adnotauerit & descripserit, sui oblitus in hisce dignoscendis ac denominandis errauerit vulgi errorem (h). Sic *Pronteam* Birelli apud Boëtium huc quoque pertinere, vix dubitari potest (i).

(a) Hist. Nat. Lib. 37. cap. 10. (b) Lib. 29. cap. 3. (c) Olearii Gottorff. Kunst-Cammer pag. 33. Hinc etiam vulgo Smördubbar dicuntur, vti me Dnus Prof. Engeström, docuit. (d) Conf. venerab. Iac. a Melle de lap. fig. agri & litoris Lubecensis. (e) conf. Consultissimus Klein de Echinitis. (f) Boët. Lib. II. cap. 264. (g) Rumphii Thesaur. Imag. tab. L. fig. 6. 7. 8. 9. (h) conf. ibid. Tab. XIII. XIV. nec non Tab. LIX. fig. C. D. E. F. (i) Hist. Lap. & Gemm. lib. 2. cap. 303.

## §. IV.

*Glossopetra.*



Sic fulminatrice sua dignitate Brontias excidit; iam igitur quo iure eadem *Glossopetrae* conferatur, dispiciamus. Est autem Glossopetra lapis vt plurimum triquetrus, laeuis & politus, qualicunque vomeris, aut linguae auis picae figura, colore cinereo, rubello vel atro, magnitudine diuersa, margine interdum serrato, interdum integro, radice etiam seu basi scabra alius coloris nonnunquam distinctus, qui quidem praesertim in insula Melita, sed quoque in Helvetia, Gallia, Belgio, Hassia, Saxonia, Silesia nostraque Scania, atque aliis orbis habitabilis partibus inueniri solet. Cum vero hic lapis neque linguae humanae admodum similis sit, neque coelo vnquam deciderit, merito dubitamns num idem sit lapis ac ille, cuius mentionem facit Plinius his verbis: *Glossopetra linguae humanae similis in terra non nascitur, sed deficiente luna coelo decidere & lenocinanti necessaria creditur, quod ne credamus promissi quoque vanitas facit; ventos enim ea comprimi narrant* (a). Solinus etiam, *Glossopetra*, inquiens, *deficientibus lunis coelo cadit, non modicae, vt magi ferunt, potestatis, qui ex ea lunares motus excitari putant* (b). Potius credimus hosce auctores ceraunias, speciatim sic dictas pro



*Lingula lapidea, forte Gloſſopetra antiquorum, inuenta in paroecia Croppenſi Scaniae.*

pro Gloſſopetris venditaſſe, quoniam vulgus illis ſublimem adeo generationem adſcribere ſolet, & inter easdem inueniuntur, quae linguae figuram vtcunque referunt, qualem etiam noſtrum ante hac, nunc Academiae Carolinae Muſaeum inter plurima alia Ceraunia conſeruat. Dari lapides linguas exactius repræſentantes auctoritate Vormii (c), Helvingii (d), & Kundmanni (e) afferere non dubitamus; ſed humiles ſolum ipſis natales non abs re aſſignamus. Veriſimile autem videtur has lapideas linguas ad figuram gladii cuiusdam, qui veteribus lingula dicebatur, eſſe effictas; ita enim de illo A. Gellius ſcribit: *de lingula, quoniam eſt minus frequens, admonendum exiſtimo, Lingulam veteres dixiſſe gladiolum oblongum in ſpeciem linguae factum, cuius meminit Naeuius in Tragoedia Heſiona. verſum Naeuii appoſui: Sine mihi gerere morem videar, haud lingua, verum lingula* (f). Confundi autem ſaepe hos illosque lapides, teſtem addducere

libet in hisce rebus versatissimum Boëtium; ille enim docet, *quosdam cum cerauniis hunc lapidem confundere & fulminis iaculum existimare, & propterea Germanice* Donnerkeul *vocari* (g). Et reuera dum Cardanus eadem opera Glossopetram & lapidem fulmineum describit ex atro virentem & linguae ex vngue similem ac durissimum, eundemque a Glossopetra Luneburgensi distinguit, verba haec satis confirmat (h). Insuper eaedem vires, quae caeteris Ceraunniis adscribuntur, Glossopetris ab auctoribus adscriptae comprobant, vulgarem hanc Glossopetram in sublimem fulminarium familiam quoque adscitam fuisse (i). Verum nulla ratione hunc censum ingredi, sed saltem ob qualemcunque cunei figuram lapidem nostrum hanc dignitatem esse adeptum, probatione minus indiget. Neque operose confutemus reliquas de Glossopetra fabulas, cum vix, ac ne vix quidem credamus, quemquam narrantibus, tales luna deficiente, vel coelo tonante vnquam decidisse, magis fidem adhibiturum; quam linguas esse serpentinas miraculo D. Pauli in lapides conuersas; aut denique easdem quid contra fascinationes & venena valere (k). Multo magis illorum accedamus sententiae, qui Glossopetras diuersorum esse piscium canini generis dentes, docent, adeoque eodem cognationis gradu attingere Ceraunias, quo Bufonii aut Batrachitae, quos nonnulli in numerum meteoricorum quoque referre non dubitarunt, cum Brontia confundentes (l). Hinc Luidius adaequatius Glossopetras Ichthyodontes cuspidatos dixit; Bufonios autem Ichthyodontes Scutellatos (m).

(a) Hist. Nat. lib. 37. cap. 10. (b) Solini Polyhist. cap. 40.

(c) Musei p. 83. (d) Lithograph. Angerb. p. 59. (e) Pr. R. N. & A. Wr. p. 233. (f) Noct. Att. lib. X. cap. 25. (g) Boët. Hist. Lap. Lib. II. c. 168. cui adstipulatur Olearii Gottorff. Kunst-Cammer p. 32. (h) Cardan. de varietat. Rer. p. m. 699. (i) vide sis Boët. Lib. II. c. 168. & Worm. Mus. p. m. 67. (k) Barthol. Hist. Anatom. Cent. VI. Hist. 1. & Valentini Natur- und Materialien-Kammer. (l) Boët. Hist. Lapid. Lib. II. cap. 149. (m) Ichnogr. Lithophylac. Brit. Class. 9. & 10. conf. Valentini Musei Museorum Part. 2. p. 58. nec non Fab. Colum. de Purp. Sten. de Anat. Can. Carch. & Liber cui titulus: Spectacle de la Nature Tom. 3. p. 381.

## §. V.

Sequitur iam *Belemnites* a Sagittae figura, vel quod vulgo iaculum fulmineum putetur dictus; qui alias quoque si admodum grandis fuerit, *Ceraunitis;* niger vero *Coracias* appellatur (a). Dicuntur quoque *Dactyli Idaei & Corybantes;* cuius quidem nomenclaturae rationem reddere satis difficile videtur. Plinius haec tantum habet: *Idaei Dactyli in creta ferreo colore pollicem humanum exprimunt* (b); adeo locus & figura nomini occasionem praebuisse videtur. Fuere alias secundum Poëtas Idaei dactyli seu corybantes magnae matris sacerdotes siue ministri, insignes strepitu & motu furibundo saltatores clypeis armati, ferri quoque inuentores, Iouis autem nascentis tutores natique nutritores. Forte autem Vates, qui & prodesse volunt & delectare hoc apologo indigitasse: quod licet copiosissime in Ida monte inueniantur hi lapides, tamen etiam non tantum in aliis montibus & abditis terrae visceri-

*Belemnites.*





visceribus, verum etiam passim in agris fertilioribus occurrant, adeo vt magnam Matrem vbique locorum, tanquam seduli ministri comitentur. Crebris vero subsultibus hos nostros, praecipue armatos, in igne strepere & dissilire, atque non immerito saltatores furibundos ideo dici, cuiusuis experientia manifestum fieri potest. Belemnitas item inprimis saxo calcario frequentes inhaerere, non raro etiam ipsos hosce dactylos, quos armatos iam diximus, naturam pyritae induere atque ferrum sulphurque continere, saepius autem adhuc sub strato saxi calcarei mineras ferri & marcasitae delitescere, vulgari experientia, nostraque, insuper Lithographorum & metallurgorum probatissimorum testimoniis edocti asserere non dubitamus, vt adeo ferro inuestigando & inueniendo occasionem dedisse hos Idaeos dactylos veritati non omnino videatur contrarium. Calore denique subterraneo fotam, humoreque solutam hanc Opis prolem, Pyriten puta sulphur ferrumque continentem, tales suppeditare exhalationes, quae Ioui nutriendo, ac fulmini producendo aptae natae sint; Physici sagacissimi testantur. Hanc tamen explicationem vtpote nostram, neque nobis ipsis satisfacientem, sed animi tantum gratia expositam nemini obtru-

obtrudere, nec mordicus defendere volumus, allaturi modo qualemcunque antiquioris denominationis rationem. Ad ripam fluuii Kam in Ruſſia admodum frequens hoc lapidis genus, ibidemque *Skortipalk*, id eſt *Digitus diaboli* dici, ab amico harum rerum apprime gnaro accepimus; Germanis quoque Teufelsfinger ob digiti ſimilitudinem dici teſtatur Keysler (c). In officinis Pharmacopoeorum Lapis Lyncis vel Lyncurius, quibusdam etiam Langurius audit; at quemadmodum nullam omnino gemmam ex vrina Lyncis habere originem certum eſt; ita facile quiuis animaduertet, longe aliam ab antiquis ſub hoc nomine eſſe deſcriptam (d). Alias quoque *Lapis fulmineus*, *ſagitta* & *ſpectrorum Candela*, Luchsſtein, Alpſchoß, Alpſtein, Donnerkeul, Schoßpfeil- oder Strahlſtein, Wetterſtrahl (e); Suethice etiam Tordöns-kolf-Pihl-wigge, Wätte-lius. Quae quidem pleraque nomina epidemicam ſuperſtitionem ſatis arguunt; vel enim a tonitru huiuſce lapidis generationem vulgus accerſere; vel contra ſpectra & malos genios valere indigitant; vnde etiam cum caeteris ceraunijs communes virtutes habere, victoriam ſuauemque ſomnum geſtanti conciliare, lemures autem & quaeuis phantaſmata nocturna arcere perhibetur. Heic rurſus miramur, imo dolemus, optimum dormitaſſe Homerum, noſtrum, inquam, Rumphium erraſſe: Nam tabula iam ante indicata ipſiſſimos etiam Belemnitas inter alios ceraunios repraeſentat, & ſublimi hoc nomine non ornat tantum, ſed fidem etiam facere conatur, reuera coelo tonante deiectos fuiſſe (f). Propius equidem illi ad veritatem acceſſiſſe nobis videntur, qui hoſce lapides in claſſem geometrica, & ſuo generi


certa & naturali figura praeditorum retulerunt (g). At rectius adhuc ratiocinati ſunt, qui conſtantem huiuſce lapidis figuram, praecipue vero integri, contemplati, ſimulque partes eiusdem internas externasque adcuratius rimati, easdem omnes ita eſſe comparatas, vt organismum quendam, certos fines reſpicientem olim conſtituiſſe viderentur, deprehenderunt; ideoquo hoc fosſile cenſui petrificatorum eſſe adſcribendum non abs re iudicarunt. Cum vero nondum origo huius lapidis certa & indubia ſatis ſit demonſtrata; quidam autem pro teſtacei animalis exuuiis (h); alii pro planta olim ſubmarina (i), alii pro cornu piſcis ignoti (k), alii denique pro dente immanis cuiusdam beſtiae rapacis aquaticae habendum exiſtimauerint (l), vt caeteros taceamus, qui vel ſuccinum in lapidem conuerſum ſtatuerunt (m), vel certam eſſe ſtalactitae ſpeciem (n) opinati ſunt; nos equidem lubentiſſime ſagaciſſimi Phyſici Ioh. I. Scheuchzeri inter lapides incertae originis hunc noſtrum reponentis accedimus tantiſper ſententiae (o), donec certiora phyſicorum induſtria aliquando proferet.

(a) Boët. Hiſt. Lap. & gem. Lib. 2. 158. (b) Hiſt. Nat. Lib. 37. cap. 10. (c) Antiquit. Septent. & Celtic. p. 502. (d) vid. Plinii Hiſt. Nat. Lib. 8. cap. 38 nec non Lib. 37. cap. 2. & 3. (e) Bruckmanni Theſaur. ſubterr. p. 73. & ſeqq. (f) vide quae ex hoc auctore allegat. cl. Sivers Curioſ. Niendorp. ſpecim. III p. 47. & ſeqq. (g) vid. Baieri Oryctograph. Noric p. 33. (h) Helvingii Lithograph. Angerburg. p. 29. Balthaſ. Erhard Diſſert. de Belemnitis Sueuic. p. 19. Kleinii deſcript. Tubulor. Marinorum. (i) Idem Helvingius Lithograph. Angerburg part. alter. Lipſiae 1720 editae p. 117. & ſeqq. (k) Luidius Ichnograph. Lithophyl. Britan.

Britan. p. 117. (l) Lettres Philoſophiques de Monſ. Bourguet p. 10. & ſeqq. & ſpectacle de la Nature Tom. 3. p. 383. (m) Libavius ſingul. Part. III. ſive de Bituminibus Lib. IIX. cap. XIIX. (n) Car. Nic. Lang Hiſt. Lapid. figur. Helvet. Lib. VI. cap. 2. (o) Meteorol. & Oryctogr. Helvet. p. 158.

## §. VI.

*Aſtroites maior.*



*Aſtroites minor.*



Porro *Aſtroites* inter lapides, quos vtpote caeleſtis proſapiae, magni quondam aeſtimauit veſana vulgi opinio, nobis ſeſe conſiderandum offert: quamuis enim qui de lapidibus gemmisque ſcripſerunt, huius inter caetera ceraunia explicite quidem non meminerint; certiſſimum tamen eſt, hos auctores virtutes de illo praedicaſſe easdem, quas reliquis fulmineis perperam putatis ineſſe falſo crediderunt; ſuperſtitioſam autem fiduciam in ceraunia vulgari accedente figura ſtellata maiorem fuiſſe non abs re praeſumere licet cum ſpecimen cerauniae ſtellatae afferat, Cl. Wolfartus (a). Et quidem Aſtroiten inprimis victoriae obtinendae gratia geſtandum eſſe contenderunt; vnde etiam quaſi κατ᾽ ἐξοχὴν Germanice dicitur *Siegſtein*, & forte non alius eſt, cuius mentio fit in

Wilkina Saga: *Og um Kvolldit sem Kongur hafdi sett Lantiolld sin, þa Kemur hanum i hug ad heima liggur sigursteirn hans. Enn þad var i þann tima ad Konungar attu sumer stein, þann er su var nattura ad, ad hver sieck sigur er hafdi a sier, og giordu þeir þad helst er orustumenn voru, eda vandrædi attu edur Kappar þoitust. Enn þad veit ec eigi hvort þad af nattura sialfs steinsins, edur olli atruniadur sa er þeir hofdu a steininum. En þetta tycker Kongi allilla er heima liggur sigurstein hans, þui Nidungur Kongur hefur nu minna lid og hrædist ad han muni hafa hinn verra hlut, ef hann fær eigi sinn stein* (b). Quae interprete nobilissimo Peringschioldio sic sonant: *Circa vesperam erectis iam castris, forte meminit Nidungus domi suae reliquisse se lapidem magicum, cuius beneficio victoriae palma obtineri posse credebatur. Nimirum eius virtutis lapidem possidebat rex, vt indubie victoria a partibus eius staret, qui hunc corpori suo adplicauerat. Tali igitur potissimum vtebantur, qui bello dimicaturi aut discriminum quorumcunque vices subituri erant periculosas. Fateor autem me iuxta cum ignarissimis nescire an naturae aliqua insita vis hanc lapidi virtutem tribuebat, vel hominum impia superstitio nimiam spem in eo collocantium. Caeterum rex summopere animi tristabatur, propter neglectum domi lapidem victoriae conciliatorem; maxime vero, cum numero militum longe inferiorem hostibus suis se existere animaduerteret. Hinc sorti suae timens lapidem opitulatorem sibi desiderabat.* Alii *Dracontium* & *Draconiten* vocarunt, quod institores nugiuenduli, vt maius pretium mercibus statuerent, e capitibus Draconum

in India exemptos esse eiusmodi lapides commenti sint (c). Verum duo inprimis phaenomena in hoc lapide conspicua indoctam plebem in admirationem rapuere; nimirum quod elegantiores stellarum imagines exhibeat, & quod aceto impositus huc illucque agi videatur, & quasi vivere. His igitur perspectis emptores praeconibus facundis, aut coelestes natales, aut saltem influxum astralem, atque notissimum illud Hermetis: *Quod est superius est sicut id quod est inferius*, confidenter iactantibus faciles & benignas praebuerunt aures, & errores acceptos fabulasque pertinaciter retinuerunt atque sedulo disseminarunt. Quod si autem consideremus plurimas plantas submarinas lapidosae substantiae, & *ramosas* & *tuberosas*, *Madreporas* puta & *lapides corallinos* eiusmodi stellarum iconibus esse ornatas; neque tamen hoc magis arguere virtutem quandam diuinam, quam vel flores Boraginis, Ornithogali, Alsines aliarumue herbarum, vel flocci niuis, qui non minus stellatas secundum vulgi opinionem referunt figuras: Deinde materiam huiusce lapidis esse quodammodo gypseam, & non secus ac ostracodermata & lithodendra naturae alcalinae, atque adeo accedente liquore acido efferuescentiam oriri, quae corpus hoc in tabulam tenuem prius efformatum & politum agitet versetque (d): Certe ne minimum quidem miraculi heic inuenimus, sed venerabundam illam fiduciam, quae solum in omnium rerum Conditore O. M. poni debet, gratis stolideque infirmissimo fundamento, lapide nimirum vili, vtut satis eleganti, & Creatoris gloriam, si rite illo vteremur, depredicante inniti.

(a) Hist. Nat. Hass. infer. p. 51. Tab. XXIII. (b) Vilkina saga Edit. Peringsk. p. 57. (c) Plin. Hist. Nat. lib. 37. cap. 10. (d) Spectacle de la Nature Tom. 3. p. 384.

## §. VII.

Quam incertum & ridiculum in detegendis lapidibus fulminaribus semper fuerit vulgus, & quod minima figurae singularitas, cuius causa ipsum latebat, suffecerit ad persuadendum superstitiosis, talem lapidem ob caelestem originem auersari & fugare malos daemones, & quaeuis arcere veneficia; probat insuper ille, qui *Vaccinus* dici solet, Germanice Kuhstein, aniculis autem nostratibus Maresteen, vel incuborum lapis. Hic autem nihil aliud certe est, quam silex seu Pyromachus vulgaris naturae sponte, vel potius diuturna & continua aquarum allisione excauatus, vti testantur I. I. Wagnerus (a) & I. I. Scheuchzerus (b). Verum ipsa illa perforatio est, quam mirata non dubitauit ipsi lapidi magicas adscribere virtutes plebecula, nomenque ab iisdem imponere. Ideo enim Vaccinus nominatur, *quod*, vti refert citatus Wagnerus, *bubulci sibi persuasum habeant, quod si vaccae loco lactis sanguinem reddant, papillis vero in haec foramina immissis mulgeantur, lac corrigi.* Tales diuersos inter alia Ceraunia repraesentat Cl. P. Wolfartus hisce additis verbis: *Quis in patria ita hospes, vt ignoret & nostris annis proh dolor! inueniri adhuc mulherculas haud paucas, quae simul ac vaccas lac cum cruore reddere animaduertunt, per foramen lapidis fulminaris, quem ea propter etiam* den Kuhstein *appellare solent, eas mulgere, vel cunis infantum imponere solent, ne fulmine*

*fulmine tangantur*, *& quae sunt alia*; *quibus etiam longe difficilius talem lapidem*, *praeprimis si conueniat cum figura 3. & 4. ab vtraque facie delineatis*, *quam fortissimo Herculi clauam e manibus extorseris* (c). Neque ab hoc stolido instituto nostrae mulierculae sunt alienae, quod cum nomen insinuat praedictum, tum suspensio lapidis in stabulis, & e collis armentorum. Sed mittamus has, & ad alias eiusdem quidem furfuris nugas properemus, nobis tamen vel ideo considerandas, quod & errorem hunc popularem magis magisque manifestent, & veritatis indagini non infeliciter nobis videantur velificari. Etenim cum in superiori Suethia lapides figurati, quorum hactenus mentionem fecimus, sint rariores, ne ceraunia omnino desiderarentur, hanc dignitatem *calculis ripariis* in figuram oblongam & subrotundam procul dubio a fluctuum allisione tornatis conferre non dubitarunt, dum illos vernacula lingua **Godbondestenar** dixerunt. Notissimum est inter alios titulos, quibus Iouem Hyperborei venerati sunt etiam hunc fuisse, quod bonus herus siue agricola, ob mensem vberiorem, quam largiri credebatur, diceretur; Nec aliunde deriuandum videtur, quod alias quoque **Kampestenar** vulgo audiant, nisi quod olim bellatoribus & pugilibus, qui **kämpar** & **kappar** dicti sunt, in victoria reportanda vsui fuisse, prisci aeui credulitas opinata sit. Hic prorsus silentio praeterire nequeo lapidem, qui in meo Lithophylacio asseruatur; nimirum ante triennium Vir quidam religiosus hic in Scania degens, non indiligens quidem rerum rariorum aestimator, sed scientiae naturalis non satis gnarus mihi lapidem quendam rotundum, tuberculis nonnullis muricatum, qui

adeo

adeo & figura & magnitudine Gallam refert, vt inde non inepte a quibusdam hodie phyſicis *Gallites* dicatur, miſit, ſimulque literis ſignificauit, illum eſſe in trunco arboris a fulmine tactae a lignatoribus ipſius repertum & ſibi oblatum; verum minus equidem mihi dubitandum reor, quin ſerui fallaces, vt maius pretium dono ſuo ab hero curioſo & credulo conciliarent, mira haec commenti ſint.

(a) I. I. Wagneri Hiſt. Nat. Helvet. p. 320. (b) Scheuchzeri Meteorolog. & Oryctogr. Helvet. p. 128. (c) Hiſt. Nat. Haſſ. infer. Tab. 22. No. 10. & Tab. 23. No. 1. 2. 3. & 4.

## §. VIII.

Deinde *Cryſtallus montana* etiam propter ſingularem & ſpecificam figuram, qua priſma hexaëdrum verſus alterum extremum in mucronem abiens ſiſtit, numerum cerauniorum ex opinione vulgi ingreditur. Hoc enim teſtatur Cl. Wagnerus, vbi, *Cryſtallus*, inquit, *Alpinis* Strahlen vel Strahlſtein *id eſt fulminis lapis dicta, eo quod ſibi perſuaſum habeant a fulmine eam cadere & gigni* (a). De hac Plinius haec habet verba merito heic inferenda: *Proximum Ceranniae nomen apud eos habet, quae appellatur Iris;* & paucis interiectis: *vocatur ex argumento Iris. Nam ſub tecto percuſſa ſole ſpecies & colores arquus coeleſtis in proximos parietes eiaculatur, ſubinde mutans, magnaque varietate ſui admirationem augens. Sexangulam eſſe vt Cryſtallum conſtat &c.* (b). Huc pertinere quoque videtur *Daemonius*, cuius e Ludovico Dulci meminit Lithographus ſaepius iam citatus hunc in modum: *Daemonius*

*monius duobus coloribus mixtus est Iridis instar, valet ad febres ac venena pellit, gestantemque securum & victoriosum reddit* (c). Rationem etiam nominis qualemcunque suppeditat ex Alberto Ortus Sanitatis: *Deimonis est quidem Lapis bicolor, vt arcus Deimonis, qui Iris vocatur. Est autem Deimon dictus, quod Graece intellectum vel stellam claram scintillantem sonat* (d). Verisimile est, spathum Crystallinum, vti Metallurgi hodierni dicunt, quod alias physicis *Androdamas* Plinii audit, de quo ita scribit: *Androdamas argenti nitorem habet vt Adamas quadrata, semperque tessellis similis; magi putant nomen impositum ab eo, quod impetus hominum & iracundias domet* (e); & quod praeterea quoque *Crystallus Islandica* (f) & *Selenites* (g) appellari solet, barbaros hos auctores intellexisse, atque illum ob figuram regularem & arcus caelestis colores, quos exhibet, tanquam coelesti ortum patria tantarum virtutum encomiis exornasse. Huic merito subiungimus aliam gemmam fabulosam, quam ex Alberto rursus describit Ortus Sanitatis hoc modo: *Coranticas est lapis Crystalli similis infecto colore caeruleo, qui dicitur aliquando cadere de nube cum tonitruo, & inuenitur in Graya & Hispania, est candens, vt ignis. Prouocat dulces somnos, & ad praelia & causas vincendas, & contra pericula Tonitrui dicitur operari* (h). Nomen hoc videtur corruptum, & ab illo Ceranniae vel Coraciae, de quo supra egimus, detortum; in descriptione autem si quae se recte habent, optime quadrant in *Pseudopalum*, quem alias Germanici ein Weisse, nostri Gemmarii Wattnopal, Wese dicunt, alias quoque *Orphani* nomine a scriptoribus medii

dii aeui celebratum. Huic forte cognatus eſt *Calondronius*, *quem victoriam praebere*, *melancholiam*, *faſcinationes malosque ſpiritus arcere* ex Birello refert Boëtius (i). *Garatronius* certe Synonymum eſt obſcurioris vel aſtroitae, vel opali, vti ex eodem auctore liquet (k), adeo vt non prorſus videatur abſonum, rudes iſtos melioris literaturae ſcriptores ex hoc illud Calondronii fabricaſſe. Interim hoc extra aleam diſputationis poſitum videtur, Solinum Ceraunii titulo inſigniuiſſe non aliam gemmam, quam modo nominatum hodiernorum Phyſicorum pſeudopalum; Sic enim ille: Ceauniorum porro genera diuerſa ſunt. *Germanicum candidum eſt*, *ſplendet tamen caerulo*, *& ſi ſub diuo habeas*, *fulgorem rapit Syderum* (l). Iisdem fere verbis *Ceraunium* deſcribit Plinius, eamque *Aſteriae* gemmae cognatam facit; ſed patriam eidem aſſignat Caramaniam (m). Nec alia videtur illa, quam idem *Aſtrapiam* dixit, & ſic deſcribit: *Aſtrapia in candido & Cyaneo diſcurrunt e medio fulminis radii* (n). At eiusdem Aſteria vix alia erit quam ipſe *Opalus* (o). *Aſtrios* item, *Aſtroites*, *Aſtrobolon* eiusdem generis, niſi forte hyacinthi, diuerſae ſpecies (p). Verum de his & aliis eo minus aliquid certi ſtatuere licet, quod hic auctor fere ſemper affectata quadam obſcuritate laboret; neque, quod imitator eius vel ſimia, vti non nemo ſcite vocat, Solinus maiori perſpicuitate Lectorem ſuum informet: *Mithridax*, *Phlogites*, *Anthracias*, *Lychnites* aliaequae fulgore igneo inſignes, quae ſint gemmae cum certitudine aliqua determinare poſſumus. Certum tamen eſt, omnes has magni, ob coeleſtes ſcilicet proprietates, fuiſſe aeſtimatas; *Hyacinthum* autem vel

ha-

harum vnam esse, vel hisce perquam cognatam. Nam ex Serapione tradit libellus iam antea citatus de viribus Hyacinthi: *quod qui portauerit secum ante sigillationem factam cum eo, sit tutus a fulgore, ita quod non cadit super eum; virtus haec est multum diuulgata inter homines.* Ex aliis vero simul edisserit: *collo suspensum vel digito portatum tutum reddere peregrinum, & gratum hospitibus, valere contra pestiferas regiones & venena, somnum prouocare, cor confortare laetumque reddere* (q). Verum ne cum oleo & opera simul vtilem nobis chartam perdamus, non tantum de *Haematite*, *Amianto*, *Amethysto*, *Topazio*, *Chrysolitho*, *Beryllo*, *Gagate*, *Succino*, *Ophite*, *Cornu Ammonis* aliisque antiquorum nugas recensere supersedemus; verum etiam *Magnetis* siue *Heraclii lapidis*, cuius vim in ferrum Plinius miratur (r), considerationem, quanquam & ille Segerſten vulgo dicitur heic omittimus, at multo magis *Chabraten*, *Gagacromeon*, *Epistetent*, *Kinocetum*, *Pantheram*, *Pentauream*, aliosque, qui vel tenebris ignorantiae plusquam Cimmeriis, vel callidae mercantium imposturae natales debent, virtutum autem praeconia mutua ab omnium virtutum pauperrimis cerauniis sumpserunt, lapides silentio praeterimus; Neque mirabilium virtutum, *Lapillis Astaci fluuiatilis*, quos pharmacopaei *oculos cancri* vocitare solent, aut *Lapidi Cyaneo*, aut *Turcoidi* gemmae, vulgo adscriptarum causas curiose inuestigare conabimur, quanquam etiam illi in hunc censum esse referendos, & praeconia eorundem signaturae, coelesti scilicet, lubrico sane fundamento inniti, fallaci autem experientia continuari videntur. Sic etiam nigrum Nili *lapidem fabae simi-*



*lem*, *Melas* olim dictum, heic missum facimus, licet Stobaeus commemoret eundem etiam daemonia fugare (s). Saltem nobis sufficiat, vtcunque exemplis probasse, quam foecundus sit error inprimis popularis.

(a) Lib. cit. p. 325. (b) Plinii Historia Nat. lib. 37. cap. 9. (c) Boët. lib. cit. cap. 303. (d) Lib. de lapid. Lit. D. (e) Lib. cit. cap. 10. (f) Museum Reg. Dan. Part. I. Sect. VII. No. 59. (g) Seleniten hunc Rhomboidalem fuse describit I. I. Scheuchzer. Specim. Lithograph. Helvet. p. 49. nec non Meteorolog & Oryctograph. Helvet. p. 139. (h) lib. eodem Lit. C. (i) Lib. & cap. cit. (k) Lib. eodem cap. 145. (l) Solini Polyhistor. cap. 23. (m) Plinii Hist. Natur. Lib. 37. cap. 9. (n) Lib. citat. cap. II. (o) Lib. eodem cap. 9. (p) Lib. citat. cap. 6. vbi opalum fusius describit. (q) conf. Scalig. de subt. exercit. CXIII. item Solini Polyh. cap. 26. (r) Histor. Natural. lib. 36. cap. 16. (s) Serm. 98.



# CAPVT II.

## DE CERAVNIIS FICTITIIS IN SPECIE, FIGVRAM INDVSTRIAE HVMANAE DEBENTIBVS.

## ARGVMENTVM.

*§. I. Quinam sint huius generis Ceraunii.*
*§. II. Ratio nominis.*
*§. III. De Betulis & Baetiliis; & quid Abdir, Abaddir, Agadir, & Agapis.*
*§. IV. De cultris gladiolisque siliceis; nec non de Mnuzirim, Machera & Testa Samia.*

*§. V.*



§. I.

Hisce praemissis, propius vt tandem ad nostrum accedamus scopum, ad ceraunianum, speciatim magis ita dictarum, lapidum nimirum *Asciae*, *Mallei*, *Securis*, *Cunei*, *Clauae*, *Vomeris*, *Cultri*, *Pugionis*, *Sicilicis*, *Lingulae* aliorumue instrumentorum ferreorum figuram referentium considerationem nos conferimus. Hos enim & veneranda antiquitas, & recentius aeuum non minus credulum, hoc prae caeteris omnibus nomine haud indignos existimauit. Plinius enim recensitis variis Cerauniae gemmae speciebus sic pergit: *Sotacus & alia duo genera fecit Cerauniae nigras rubentesque ac similes eas esse securibus: per illas quae nigrae sunt & rotundae vrbes expugnari & classes, easque Betulos vocari; qui vero longae sunt, ceraunias. Faciunt & aliam raram admodum & Parthorum magis quaesitam, quoniam non aliubi inueniatur, quam in loco fulmine icto* (a). Inter recentiores autem instar omnium nobis iam erit diligentissimus fossilium Historicus Georgius Agricola, cuius haec sunt verba: *Ceraunias ex eo nomen inuenit quod cum fulmine, vt vulgus credit, decidat; caret striis & lineis*

 *atque*

*atque in hoc differt a Brontia. Laeuis est, nunc rotunda, nunc oblonga* (b). *Quia autem* addit clarissimus Boëtius, *omnes isti lapides, vel malleo, vel cuneo, vel securi, vel vomeri, vel similibus instrumentis foramina habentibus pro manubrio immittendo, forma simillimi sunt; nonnulli non esse fulminis sagittas, sed ferrea instrumenta in lapides longo tempore mutata existimarunt. Illorum profecto opinionem probarem, nisi multi fide digni viri reclamarent, qui postquam a fulmine ictae domus aut arbores sunt, se tales lapides in ictus loco reperisse asserunt* (c). Verum miramur & quidem non abs re, virum hunc eruditum, & emunctioris certe naris, e duabus hisce opinionibus minimam quidem veri speciem habentibus alterutram elegisse, reiectae tamen alias non parum quoque fauisse. Æque namque naturae contraria & insolita nobis videtur ferramentorum in lapides transmutatio, ac molis lapideae in nubibus generatio & cum fulmine eiaculatio; neque haec quam illa, vlla quidem ratione credibilior apparet. Paulo post igitur sui ipsius oblitus recte queritur: *Quod tam constans sit fama, fulminis esse sagittam, vt si quis hanc vulgi opinionem refellere velit, insipiens videatur* (d). Scilicet tam graue & iniquum iugum seruis non rite & libere philosophantium ceruicibus imponit, primo praesumptio, mox obfirmat praeiudicium. Sic continuato errore pertinax fovetur superstitio, abominabilis quidem illa & Christiano homine perquam indigna. Quoniam igitur auctoritatem Historicam non tanti faciendam existimamus, vt mendacium licet tot testibus confirmatum ipsa veritate nobis videatur potius, constituimus paulo curatius in huiusce lapidis

no-

nomen, figuram, materiem, originem, vſus & abuſus varios inquirere; vt inde omnibus conſtet, quantum iure ſtatuendum ipſi ſit pretium.

(a) Hiſtor. Nat lib. cap. 9. (b) De natura foſſilium lib. 5. cap. 13. (c) lib. cit. cap. 261. (d) lib. & cap. cit.

## §. II.

Id quidem ſatis manifeſtum eſt & euidens, quod quemadmodum a Graeca dictione βροντὴ, *Tonitru*, nomen accepit Brontia; ita etiam ab illa κεραυνὸς, quae *fulmen* ſignificat, ceraunia deducitur. Scribitur autem ab auctoribus Hiſtoriae Naturalis non tantum *Ceraunia* & ſubintelligitur gemma, & *ceraunius* ſcilicet lapis, verum etiam interdum neutro quoque genere effertur; Sic Solini quidem codices habent *Ceraunium* (a); & Claudianus etiam plurali numero dixit:

*— — — — Pyreneisque ſub antris*
*Ignea fulmineis legere Ceraunia nymphae.*

Verum rationem nominis in ſola ſuperſtitione & vulgi opinione erronea quaerendam eſſe, res loquitur ipſa. Hinc etiam, quod Iouis tonantis inſtrumenta fuiſſe crederentur noſtratibus: Tordöns wigge, Aſkiewigge, Thors Hammar dicti ſunt, aque vicinis Germanis Donnerkeule, Donneräxte, item Strahl-Donner-oder Steinhammer (b). Porro Belgis quoque *Donderſteenen*, *Donderscopies*, atque Malaicenſibus *Gighi Gontur* & *Batu Gontur*, ac Sinenſibus *Luykhy* dici, refert Rumphius (c); Qui orientales populos has easdem noſtratibus adeo familiares fabulas quoque venditare, ipſe propria ſua hallucinatione teſtatus eſt; idem confirmante Salmonio (d). Verum non hiſce tantum lapidibus

dibus fictitia Iouis arma referentibus proprium fuisse hoc nomen, sed cum diuersis aliis lapidibus gemmisque commune, ex superioribus satis superque constat. Omnibus autem ob creditas natales fulmineas illud inditum esse; cum etiam ob splendorem fulguris instar micantem eaedem *Asteriae*, *Astrobolae*, *Astrapiaeque* dictae sint. Sic *Ceraunium* illud in Thracia nascens *tuber*, *quod cum fuerint imbres autumnales ac tonitrua crebra, tunc nascatur*, *& maxime e tonitribus* referente Plinio (e), sine dubio eiusmodi quoque ornatur nomine. At quod velocitate sua ipsum fulmen imitetur, *Ceraunus* dictus est quidam in Cappadocia *fluuius* (f). Nec ob aliam causam quidam e Ptolomeis Aegypti Rex *Ceraunus* cognominabatur (g), quam ad indigitandam insignem ipsius fortitudinem, audaciam summamque in consiliis reperiundis, rebusque gerendis celeritatem. Clearchus vero Heracleensis Tyrannus filium *Ceraunon* dictum voluit, cum semet ipsum Iouis filium ostentaret (h). Neque silentio heic prorsus praetereundum, quod *Acroceraunii* in Europa, & *Ceraunius* in Asia mons vel ob frequentiores circa eosdem obseruatas tempestates fulmineas, vel ob excelsas & praeacutas rupes, quibus flammam Iouisque tela sua figura repraesentare, antiquis viderentur, ita dicti sint: inprimis vero obseruatione dignum puto, Plinium *Taurum* montem *in vniuersum Graece vocari Ceraunium*, scribere (i); Ipsum autem Tauri nomen non minimam habere cum illo Iouis Gothici cognationem, satis liquidum esse.

(a) Polyhist. cap. 23. (b) Pet. Wolfarti Hist. Nat. Hass. infer. p. 52. Andr. Helvingii Lithograph. Angerburg. p. 85. (c) vid. Thes. Imag. Cochl. Tab. L. (d) Heu-

tige

tige Historie der Philippinischen Inseln p. 34. (e) Hist. Natur. lib. 19. cap. 3. (f) ibidem lib. 6. cap. 3. (g) Pausanias in Phoc. & Iustin. Lib. 24. cap. 1. (h) Iustin. lib. 16. cap. 5. (i) Hist. Nat. lib. 5. cap. 27.

## §. III.

Ceraunias olim quoque dictas fuisse *Betulos*, supra citatus Plinii ex Sotaco locus satis probat. Neque vero abludunt alia antiquorum documenta; Sanchoniathon enim interprete Philone Biblio, apud celeberrimum Bochartum (a) dixit: ἐπενόησε θεὸς οὐρανὸς Βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος: *Excogitauit DEVS Vranus Baetylia cum fabricasset lapides animatos.* Idem etiam auctor ex Photio haec Damascii verba profert, cum latina hac interpretatione: *Iuxta Heliopolin Syriae Asclepiadem in Libanum montem ascendisse & vidisse multa* βαιτύλια *vel* βαιτύλους; quibus ex eodem addit: *Illum vidisse globum ignis caelitus cum impetu deorsum ruentem;* & paulo post: *Ipsum autem igne exstincto ad globum cucurrisse, qui Baetylus erat, quem accepit;* subiungens tandem talem eadem auctoritate descriptionem: *Globus quidem erat exactus & rotundus, colore subcandido, diametro longus palmo, sed interdum maior, interdum minor apparebat, interdum etiam purpureus.* Quod si alios quoque Grammaticos consulere velimus, Hesychius quidem primo nos docebit: *Baetylum dici lapidem, Saturno pro Ioue datum.* Hunc vero etiam *Abdir* vel *Abadir* dictum fuisse indicat Priscianus, nam *Abdir genus lapidis dicit* lib. 1. & *Abadir DEVS est. Dicitur & hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur deuorasse pro Ioue, quem* βαίτυλον

*Graeci vocant Lib. V. nec non Lib. VI. Abdir quoque & Abaddir* ὁ Βαιτύλος, *huius Abaddiris.* Quemadmodum vero ſummus ille iam ſupra laudatus Philologus voces Abdir & Abaddir a vocibus אב דיר vel אבן אדיר deriuat ac interpretatur *Patrem magnificum* atque *lapidem rotundum*, ita minus illorum opinioni ſubſcribendum putat, qui Baetyli nomen a voce Graeca βαίτη, quae Dorica dialecto idem ſignificat ac Διφθέρα laenam ſcilicet aut pellem villoſam, quod lapis ille faucibus Saturno pro filio Ioue inditus, faſciis vel hirſuta pelle haedina a Rhea obuolutus fuerit. Potius originem nomenque Baetyli e Sacri Codicis monumentis petendum, & quidem a voce בית־אל, quae Graecis Βαιθήλ, vti vult Schedius, ſcribitur, deriuandum exiſtimat (b). Etenim quis non videt, magnam eſſe affinitatem inter voces Baetyli ac Betuli atque illam Bethel, de qua Sacer, & diuina veritate maxime conſpicuus, omniumque antiquiſſimus Hiſtoricus refert: Iacobum in Meſopotamiam proficiſcentem, & ſub dio pernoctantem ceruicalis loco vſum fuiſſe ſaxo quodam, quoniam autem per ſomnum DEVS ipſi apparuit, & poſterorum futuram gloriam patefecit, in ſempiternam diuinae huius apparitionis memoriam erexiſſe hunc lapidem in ſtatuam, & effudiſſe oleum in ſummitatem ipſius nomenque illi dediſſe Bethel ſiue domus DEI (c); cui item non veriſimile videretur, pium hunc & religioſum cultum DEO O. M. a Iacobo in *Bethel* antea *Lus* dicto praeſtitum a vicinis Phoenicibus in ſuperſtitioſam lapidum vnctionem atque adorationem deprauatum, & peruerſa traditione ad pleraſque gentes eſſe propagatum. Hanc certe ſententiam ſuo calculo comprobarunt auctores grauiſſimi Ioſ.

Scaliger (d), Ger. Io. Voſſius (e), Io. Seldenus (f), Elias Schedius (g) aliique, quibus etiam accedit Clariſſ. Hoellingius (h) non abs re *Baetilia Baetulosque fuiſſe lapides ſtipitesque in honorem Deorum erectos, oleo perfuſos & vario adorationis genere cultos ſtatuens*, quod auctoritate *Theophraſti*, *Apuleii*, *Arnobii*, *Clementis Alexandrini*, *Ovidii*, *Propertii*, *Tibulli*, *Luciani*, *Pauſaniae*, *Photii* aliorumque probare conatur, vt alicui rem adcuratius penſitanti vix abſonum videri poſſit, *terminales lapides*, *Hermas ſtatuasque mercuriales* atque adeo omnem lapidum ſuperſtitioſum cultum hinc ortum duxiſſe: Quamobrem etiam locus iſte, quod nefandae idololatriae occaſionem praebuerit, poſtmodum vocatus eſt בית ארן ſiue domus iniquitatis (i). Verum nomen Baetyli revera falſo putatis quoque Cerauniis tribui praeter ſuperius allata, vel haec Damaſcii fabuloſi ex Photio verba: *Vidi Baetylum lapidem in aëre motum* (k), euincunt. Antiquitatem autem nimis credulam & ſuperſtitionibus obnoxiam hos lapides animatos opinatam fuiſſe, ex hoc Iſidori Philoſophi, a Celeberrimo Bocharto citati, loco quoque liquet: ἐιναί τινα δαίμονα τὸν κινȣ̃ντα ἀυτὸν, *aliquem eſſe Daemonem a quo mouetur.* Hinc etiam Cryſtalli quaedam ſpecies, quod originem caeleſtem habere, & ad Ceraunias pertinere crederetur, Deimonis & Demonius a barbaris & ignorantiſſimis phyſicis dicitur, vti ſupra adnotauimus. Quid, quod *Berillum* quoque ob aliqualem nominis, aut ſaltem ſoni ſimilitudinem fulgoremque cum Baetylo confundant indocti hi doctores, vel potius inſignes nugatores; Sic enim Iul. C. Scaliger, *Alii*, inquit, *Baetylum nominant*, *alii quibus id minus eſſet notum*, *mutarunt in Beryllum* (l). Hinc illum

quoque contra hoſtium pericula & ſegnitiem valere, ingenio vero prodeſſe, & coniugatos inuicem conciliare blaterant. Ita quoque ex Abadir formarunt *Agadir*, vti ex Iſidoro patet (m), & forte non ſine cauſa huc retulerimus *pelli Leoninae ſimilem lapidem Agapin*, cuius ex nugaciſſimo auctore meminit Boëtius (n); Quamuis enim nomen illud ſatis commode ab ἀγάπῃ *dilectione* deduci poſſit, certiſſimum tamen eſt eidem prorſus ſimiles virtutes, quales omnibus Cerauniis communes finguntur, adſcribi; nec iisdem praeconiis Achatem deſtitui compilator *Ortus Sanitatis* manifeſtat, illum ſimul Agapis titulo ſalutans; neque forte abs re aſſerere licet, in honorem & commendationem Achatis ex *Abadir* effictum eſſe *Agadir*, Agatſteen.

(a) Sam. Bocharti Geograph. Sacr. Part. poſt. lib. 2. Cap. 2. (b) Schedius de Diis Germanis p. m. 343. (c) Gen. 28. (d) Scal. in Euſeb. p. 198. cit. Bocharto. lib. & cap. cit. (e) De Theol. Gentil. lib. 6. cap. 39. (f) De Diis Syris Syntagm. 1. cap. 5. (g) De Diis Germanis, p. m. 342. (h) Diſſert. Philolog. de Betiliis conf. Fr. Chr. Leſſeri Lithotheolog. §. 625. (i) Vid. Voſſ. l. c. cui addi poteſt ex Antiquitatibus Sept. & Celt. Ioh. Georgii Keysleri, Monumentum Saliſburienſe illuſtr. Sect. 1. cap. 2. praecipue §. IV. vbi de lapide Scotorum ſingularia refert, inprimis eundem hunc eſſe lapidem, cui Iacobus Patriarcha fuerit innixus, cum in regione Haran angelorum ſpecies ſomno videret adſcendentes deſcendentesque. (k) Bochart. lib. cit. (l) Exercitat. 271. (m) vid. Voſſ. lib. & cap. citat. (n) Hiſt. Lap. lib. 2. cap 303.

## §. IV.

Eſt igitur *Achates* inter ſacros ac fulminares lapides, in

in quibus vitam virtutemque diuinam venerati ſunt ſtolidiſſimi iſti homines. Verum palmaria ratio, quae illi cognatoque ſilici tantam dignitatem conciliauit, certe primario non aliunde, quam e Sacri Codicis hiſtoria quaerenda erit. Sane praeceptum illud Diuinum de Sacramento circumciſionis cultellis vel gladiolis ſiliceis peragendo, vti vnctionem Lapidis in Bethel, atque alia nimis multa prauitas humani ingenii in abominandam ſuperſtitionem, fabulas & ludibrium conuertit. De qua re Lectorem ablegamus ad eruditam Diſſertationem Dni M. Ioh. Engeſtröm, L. O. & Gr. Prof. de Cultris veterum lapideis; quae erudite & perbelle hanc materiam pertractat, & argumentis ſolidis minimeque ficulneis probat, & lapidea eiusmodi inſtrumenta circumcidendi negotio olim adhibita fuiſſe, & ritus circumciſionis non incolas Palaeſtinae a Colchis, Agyptiis & Aethiopibus accepiſſe, vti hallucinatus eſt Herodotus, ſed ab illis, Iudaeis ſcilicet, ad hos nimirum Colchos, Aegyptios, Aethiopesque, nec non vicinos Phoenices Syrosque dimanaſſe. Nos quidem actum denuo male agere ſuperſedemus, & ſaltem pauciſſimis verbis indicabimus, quod ſacris adeo vſibus deſtinata haec lapidea inſtrumenta, his ſenſim euaneſcentibus & obliuioni traditis a poſteritate originis ipſorum verae ignara, tandem admiratione digna fuiſſe habita, & caelo tanquam natali loco adſcripta, atque easdem illis virtutes, quae de caeteris Ceruniis praedicantur, attributas. Recte itaque talia inſtrumenta lapidea Ceruniis Baetylisque accenſet Celeberr. Scheuchzerus, ſimulque in hunc modum de illis diſſerit: *Significat* צור *aciem, cultrum acutum, ſed & aciem lapidis, hinc Chaldaeus* טינרא *red-*

 *dit*

*dit Lapidem acutum; quod ſi ſilex fuerit, vt vult Latina noſtra, non fuit communis, ſed igniarius, vel & Achatinus* (a); cum quo pulcre conſpirat, quod ex Arabica verſione ad Ioſ. V, 2. affert laudata modo diſſertatio: *Cultros ex petra dura;* notiſſimum autem eſt Pyrimachum non minus duritie, quam colorum elegantia & pelluciditate ab Achate vinci, cultrosque ſiliceos ex vtroque hoc lapidis genere confectos inueniri. Sic, ni valde fallimur, barbororum lapides *Agadir* & *Agapis* ſeſe heic offerunt; at forte non incaſſum Gloſſopetra illa, cuius e Plinio ſupra mentionem fecimus, in ſpeciebus harum cerauniarum inueſtiganda erit, nam gladiolorum ſeu cultrorum lapideorum ſpecimina quaedam ſatis exacte linguae humanae figuram imitata ſunt. Tandem non abs re, vti ſperamus, huc retulerimus, quem *e Syrorum fabulis profert* Scaliger lapidem *Mnuzirim*, cum *& illum eſſe apud Aramaeos ſapientes nullum alium ad vſum, quam ad auerruncandas Daemonum impreſſiones; conſpecto igitur Daemone, eum illi lapidem illico ſacrificandum*, prodat (b), & ipſa nominis ratio non obſcure idem indigitet. Nam ſecundum celeberrimum noſtrum PHILOLOGVM, *Mnuzirim a* נצר *Hebraeorum apud Syros adplicatur ad lapidem auerruncum. Prima adplicatio procul dubio fuit ex notione ſeruandi, quo Hebraeorum* נצר *reſpicit. Poſtmodum cum ſuperſtitio varia figmenta ridicula introduxiſſet, & muſſitationes circa oblationes huius lapidis, probabile videtur Syrorum* נצר *ex rituali illa notione muſſitandi ideam accepiſſe. Alias & Mnuzirim a* נזר *Syrorum, quaſi ſeparantes Daemones ab hominibus videntur dici, quae verbi notio Syris cum Hebraeis & Chal-*

*Chaldaeis est communis. Res eodem recidit. Sed ex vtra radice verbali suum Mnuzir habeat Scaliger exacte definiri nequit, cum literas orientales ו & ז Europaei vtramque per z exprimunt.* Huc etiam, nisi valde fallimur, pertinet fabulosus ille lapis, cuius e Plutarcho meminit Boëtius hisce verbis: *Machera lapis reperitur in Berecynto monte Phrygiae ferro similis, quem si quis inuenerit, quo tempore mysteria Matris Deorum peraguntur, in furorem incidere fertur* (c). Sane nobis cum maximo Antiquario, Atlanticae auctore, admodum verisimile videtur non aliam, quam hanc testam Samiam euirandis Gallis olim fuisse adhibitam (d). Hinc eaedem de illa depraedicantur vires, quas de Gallo fluuio refert Poëta:

*Inter ait viridem Cybelem altasque Celenas*
*Amnis it insana nomine Gallus aqua.*
*Qui bibit, inde furit* — — —

(a) Physic. Sacr. Tom. 1. ad Tab. 120. (b) Exercitat. 137. (c) Hist. Gem. & Lap. lib. 2. cap. 305. p. 565. (d) Tom. 2. p. 397.

## §. V.

Ceraunios huius classis lapides a curiosis collectos longe diuersissimam ostentare figuram, iam supra paragrapho prima innuimus. Possumus idipsum non solum auctoritate magnorum virorum Plinii (a), Boëtii (b), Vormii (c), Iacobaei (d), Rumphii (e), Wolfarti (f), Scheuchzeri (g) & aliorum, verum etiam satis ingenti eorunden a nobis collectorum numero confirmare. Heic tantum addimus, inueniri nonnunquam in eodem loco, vbi cunei & cultri lapidei occurrunt, rotundos iam perforatos,

foratos, iam integros lapides, qui ex vulgi & supra citati Plinii sententia ad *Ceraunios* pertinere creduntur ab eodem, *Betulorum* titulo speciatim insigniti. Quemcunque autem cuius generis Ceraunium figuram suam debere arti & industriae humanae; probant euidentissima formationis & politurae, malleo aut alio lapide, & arena peractae vestigia. Praeterea commemoratione non indignum videtur, quod quemadmodum Celeberr. Scheuchzerus depingi curauit lapidem (h), quem in Lus erexit Patriarcha Iacob in somnii diuini & pietatis monumentum; ita nonnunquam reperiantur maiores minoresque cunei, excauatum quasi capitis vestigium repraesentantes, qualem & Lithophylacium Academicum, & inter alios falso putatos Ceraunios depictum exhibet curiosissimus Rumphius (i). Cui & assentitur iam memoratus laudatissimus Physicus in textu ad citatam tabulam ita scribens: *Addere possem figuram Baetulorum saepe cauam vt est ceruicalis, cui caput incubuit.* Veluti iam figura longe diuersa est & varia, ita nec materia horum ceraunorum vna eademque, sed maxime varia deprehenditur. Nam plerique quidem e *pyrimacho* seu *silice* vulgari, qui alias hodie Physicis *lapis corneus* dici solet, confecti sunt. Per silicem itaque vulgarem non intelligo *album* & *metallicum*, Metallurgis Qwartz, vulgo autem Kattesteen & Blemmesteen dictum, quanquam etiam aliquando Calmariae vidi cuneum ex illo confectum; sed *igniarium* vtilitate sua in re familiari notissimum, quem etiam *Pyriten* & *viuum lapidem* appellauit Plinius (k). Verum non omittendum, quod ex vulgaribus quidem, sed elegantioribus vt plurimum confecti sint silicibus indolem gemmeam,

Achatis

Achatis aut Iaſpidis congenerem, quodammodo prodentis. Sed inſuper ex ipſo Achate factos fuiſſe, & ſupra indigitauimus, & ſpeciminibus e penu Academico depromptis probare non detrectabimus. Praeterea cum e marmore, inprimis *Ophite* & *Porphyrite*, tum e ſaxo viliori, eoque vel duriori ſeu vulgari *gryſeo*, vel *molliori*, nempe *tophaceo*, & *arenaceo* ſeu *cote*, immo e quocunque lapidum genere eiusmodi Ceraunii in promptu ſunt, ſiquidem noſtris haud exiguo numero collectis, alios ab aliis auctoribus deſcriptos ſuperaddere velimus, quod tamen vix operae pretium fore exiſtimamus (l). Interim tamen non poſſumus non mentionem paucis verbis facere Cerauniarum metallicarum, a laudato Rumphio depictarum, quas non absque ratione e Pyrite (Kieß) conſtare opinamur; Quoniam ille & metallicus eſt lapis & notas non minus, quam Selenites exhibeat Androdamantis Plinii, referentis, magos tribuiſſe huic lapidi *virtutem impetus hominum & iracundias domandi* (m). Nam talis Pyrites, qui ideo etiam Androdamas apud Rumphium audit (n), argenteo ſplendore inſignis eſt, vnde etiam foſſores aluminarii noſtrates eundem Silfwerroot dicunt; atque inſuper non raro teſſellatam ſuperficiem oſtentet. Quibus addimus, quod ignem continere videatur, & rotunditate figuram Betulorum aemulari. Huc igitur pertinere quoque videtur malleus a Cl. Birkerodio non procul Othinio inuentus, & e ſepulcro quodam ſub quercu erutus, quem his verbis deſcriptum dedit pl. Reuerendus Dn. Arnkiel (o): Der andere Hammer glänzet gleichſam mit güldenen Puncten, wie Körnlein geſtalt. Wenn darauf Salpeter geſtreuet wird, ſo fängt es

 an

an zu ebulliren, scheinet daß hierunter eine metallische Materie müsse verborgen seyn; videtur autem vir Religiosus chymiae non satis gnarus pro spiritu nitri hic nitrum posuisse.

(a) Plinii Histor. Nat. lib. 37. cap. 9. (b) Histor. lapid. & gem. lib. 2. cap. 261. (c) Museum p. 75. & 85. (d) Museum Reg. Dan. Part. I. Sect. II. N. 64. (e) Thes. Imag. Tab. L. (f) Hist. Nat. Hass. Inf. Tab. 23. (g) Phys. Sacr. Tab. 87. 120. & 368. (h) Loc. citat. (i) Tab. ante cit. (k) Hist. Nat. lib. XXXVI. cap. XIX. (l) conf. I. C. Kundmanni Seltenheiten der Natur und Künst Sect. I. Art. XXIX. (m) Plinii Hist. Nat. lib. 36. cap. 20. & lib. 37. cap. 10. (n) Tab. LI. (o) lib. cit. p. 309.

## §. VI.

Porro magnitudo horum Cerauniorum maxime varia deprehenditur; quidam enim satis insigni mole sunt praediti, alia autem admodum parui sunt, vt difficile sit concipere, eosdem aliis vnquam vsibus, quam religioni, aut potius superstitioni destinatos aut adhibitos fuisse. Maximus nostrorum cuneum, siue potius clauam repraesentans, in tumulo prope pagum *Walkierra* repertus, saxo vulgari admodum ruditer fabricatus ad longitudinem pedis fere se extendit, circa extremitatem alteram acuminatam circiter pollices IV, circa alteram vero, pro capulo vtcunque effictam, pollicem cum dimidio latus. Crassities inaequalis est, sed vix pollice maior, vbi maxima, libras pendens tres cum totidem vnciis. Caeterorum maiorum longitudo ad VI. VII. VIII. pollices, rarius ad nouem pertingit; circa finem aut aciem binos, circa principium vero vnum pollicem com-

complectitur latitudo; crassities longitudini & latitudini vtcunque proportionata, in medio vbi maxima obseruari solet, pollicem cum aliquot granis vix vnquam superat. Minores autem vocamus, qui longitudine sua pollices binos aut tres, latitudine vnum vel alterum, crassitie dimidiam aut quartam partem pollicis exaequant. Pondus maiorum libras tres cum triente, minimorum vix vncias tres superat. Proportio eorum, qui malleos aut secures referunt, parum a praecedentibus differt, nisi quatenus illa respondet figurae rei, ad quam efficti sunt; hinc latitudo respectu longitudinis minor, crassities vero non raro praesertim in loco, vbi foramen pro manubrio est, maior quam in cuneis obseruatur. Qui cultros, pugiones & sicilices referunt, vt figura ita & omni magnitudinis dimensione admodum discrepant; longitudinem tamen nouem pollicum vix excedunt, adeo vt aequalis sit vtplurimum illi cuneorum; at latitudo & crassities longe alia, non parum conuenire videtur cum illa cultrorum, quibus rustici nostrates vtuntur. Sic etiam sicilicum lapideorum, vt figura ita & proportio ferream cuspidem, qua venabula armari solent, exacte refert. Tandem quod ad rotundos Ceraunios, quos Betulos Plinius dixit, attinet, illi quidem etiam magnitudine multum variant, plerumque tamen illa talis est, vt praebuerit antiquariis occasionem praesumendi eosdem olim, aut pro summo ensis capuli globulo inseruiisse, aut fundatoribus vt iaculum vsui fuisse.

## §. VII.

Iam vulgi persuasionibus & quorundam quidem eruditorum, sed forte nimis credulorum, aut praeiudiciis

 occu-

occupatorum, traditionibus, ſi fidem habere non dubitaremus, vtique nullum, quin eiusmodi lapides cum fulmine coelitus delapſi fuiſſent, atque in locis fulmine tactis effodi & inueniri deberent, dubium reſtaret. Abſit tamen, vt virorum ſpectatae ſinceritatis, & de republica literaria optime meritorum fidem ſubleſtam, aut malignae impoſturae ſuſpectam reddere ſtudeamus: Potius equidem credimus, aliquando factum fuiſſe, vt forte locus fulmine tactus fuerit, vbi iam antea, ſiue caſu, ſiue conſilio, depoſitus fuit lapis; qui ideo, cum poſtea in eodem loco fuerit inuentus, non potuit non veterem atque popularem errorem ſuperſtitionemque adaugere & confirmare. Omnem vero auctoritatem iure meritoque denegamus Marbodaei, barbari poëtae, & indocti philoſophi hiſce verſiculis:

*Cum tonat horrendum, cum fulminat igneus aether*
*Nubibus illaeſus coelo cadit iſte lapillus,*
*Qui caſte gerit hunc, a fulmine non ferietur*
*Nec domus, nec villae, quibus adfuerit lapis ille.* (*a*)

Certiore vtique fide affirmare licet, lapides eiusmodi variis inſtrumentis ferreis ſimiles vel in campis & pratis ſupra terram inueniri, vel in agris aratro erui, ab agricolis vero ſuperſtitioſis magni aeſtimari & non raro vna cum Belemnite ſub ipſo limine caſae in terra defodi, vt fulmina & quaeuis alia pericula arceant, hinc non niſi admodum inuitos hoc miſerum ſuum numen tutelare alicui concedere, toto die conſtat. Sic in hos quoque arte fabricatos, praecipue vero perforatos, non minus, quam in lapides ſponte naturae excauatos optime quadrant verba Cl. Wolfarti praecedentis capitis §. VII. iam ſupra adducta; Haec autem e plurimum reuerendi Dni

Helvingii

Helvingii Lithographia Angerburgica addere iuuat: *Solum*, inquit, *hic in medium afferre operae pretium erit eum abusum, quo mediante, audito tonitru sine mora lapidem fulminarem arripere solent, etsi fuerit perforatus, foramini digitum immittere, in quo, lapide velocissime circumacto, eodem tergeminis ictibus &, vt dicitur, sub murmure quodam ostia ferire, sperantes, quod hisce ceremoniis peractis aedificium a fulmine liberum sit mansurum, cuius abominabilis facti veritatem tempore pastoratus mei saepe sum expertus.* (b)

(a) vid. Boët. de Boot. Hist. Lap. & gem. Lib. 2. cap. 261.
(b) p. 85.

## §. VIII.

Certior autem locus, vbi omnis generis Ceraunii saepissime inueniuntur, tumulis collibusque sepulcralibus veterum, nullus determinari potest. Nam vt a Betulis Plinii seu Cerauniis rotundis incipiam, tales fuisse in tumulis inuentos, testibus fide dignissimis Rudbeckio (a), qui pro summo manubrii ensis globo (en Swärdzknapp af Steen) habet; Iacobo a Melle (b), I. D. Maiore (c) & Trogillo Arnkielio (d), qui inter arma veterum referendos esse & *tales globulos lapideos, loris funiculisque innexos scuticae cuiusdam seu flagelli militaris vicem praestitisse, aut sine chorda alligata in hostes fuisse proiectos* existimant, probare licet. At auctor libri cui titulus: Cimbrisch-Hollsteinische Antiquitaeten-Remarques (e) fatetur, *se ignorare, quibus vsibus lapis rotundus & laeuis vna cum duobus aliis in tumulo Barmstedensi inuentus, olim fuerit adhibitus.* Interim tamen minus dubitandum videtur, & hunc, & globum illum *Crystalli-*

*num* in sepulcro Childerici Regis Francorum repertum & superstitiosos Betulos pertinere (f); miramur itaque Vormium, in his rebus versatissimum, de lapidibus siliceis figurae sphaericae in Selandia inuentis & pro Ceraunijs oblatis agentem scribere, *a nullo Ceraunijs figuram sphaericam tribui se vidisse* (g). De Cuneis, Securibus, Malleis, Sicilibus, Cultris & caeteris Ceraunijs factitiis e veterum gentilium sepulcris erutis praeter auctores iam nominatos (h) testimonia non contemnenda Ol. Iacobaeus (i), G. A. Helvingius (k) & Chr. Stiefius (l) perhibet. Quod si quoque tot specimina talium Lapidum, instrumenta varia aemulantium, in diuersarum Regni Sueonici prouinciarum, praecipue Scaniae nostrae locis supra memoratis, inprimis collibus sepulcralibus inuenta e loculis Musei Academici Lundensis depromere, & hisce testimoniis superaddere, vna cum monimento a Nobiliss. quondam Secretario Regio Magno Roennouio in peculiari tabula (Tab. VI.) expresso velimus, certe haec res vlteriore equidem probatione indigere non videtur. Saltem adhuc notandum, quod hi cunei vtplurimum sub ipsa vrna, aut in sarcophago e saxis constructo ita positi, vt altera extremitas, quae aciem habet, austrum, altera manubrii vice fungens boream respiciat, deprehendantur (m). Porro obseruatione non indignum forte erit, quod praeter hos figuratos, alii quoque lapides inter Ceraunios iam supra recensiti, & vel ideo memorabiles, aut simul cum cadauere in rogum coniecti, aut postmodum cum cineribus, ossibus, armis, ornamentis aliisque vtensilibus defunctorum, contumulati sint. Primo itaque nobis heic commemorandus est *silex*, quem pro Matre Deum Phryges coluisse Vossius (n) refert, vt

qui

qui ideo etiam Claudiano (o) dicitur *Religioſa Silex*; quoniam, vti ſupra annotauimus, non tantum ex hoc plerique huius claſſis Ceraunii conſtant, verum etiam inſuper ipſum hunc, non in certam quandam figuram redactum, in tumulis non raro obuium fuiſſe, teſtantur auctores ſupra laudati (p), quibus accedit Cl. Schefferus (q), Lappones quondam iuxta amicos defunctos in ſepulcris poſuiſſe *Silicem* & *Chalybem* memoriae prodens, quam conſuetudinem pro more ſuo ingenioſe & erudite explicat Antiquarius (r) noſtras, ad inuidiam vsque magnus. Deinde *Brontiae* ſeu potius *Echinitae*, quem perperam Ophiten nominat, in conditorio quodam inuenti mentionem facit Rhodius (s); huic adiungit *Haematiten* (t), qui non modo & armis poliendis & ſanguini ſiſtendo adhibitus, ſed & ob figuram quodammodo pyramidalem & flammae aemulam ſuperſtitioſa veneratione aeſtimatus fuit, & iisdem, quibus ceteri Ceraunii, condecoratus praeconiis. Tum *Cotem*, vtut lapidem viliſſimum, ſilentio praeterire non poſſumus, quippe quam in ſeptentrionalium populorum ſepulcris non infrequentem eſſe, comprobant Rudbeckius (u) & Arnkielius (v). Hanc autem tumulis non tam inditam ideo fuiſſe, quod olim armis acuendis inſeruiuerit, quam quod Ioui ſeptentrionali ſacer lapis creditus fuerit, infra dicetur. Denique nos hic oportet *Succinum* & *Cyaneum* vel *Lazulum*, vt vulgo iam dicitur, *lapidem*, quos inter Ceraunios ſupra quoque retulimus, annotare; quoniam eosdem ſepulcris olim illatos, ibidemque repertos fuiſſe teſtantur Rudbeckius (x) & Rhodius (y), ambo in ruſpandis rimandisque antiquorum tumulis curioſiſſimi. Neque dubitandum videtur, alios inſuper huius cenſus lapides

in

in ſepulcretis gentilium reperiundos eſſe, cum etiam olim gemmas pretioſiſſimas funeri additas meminerit Propertius (z), de *Beryllo* ita canens:

*Et ſolitum digito beryllon adederat ignis.*

atque paucis interiectis verſiculis de *Hyacintho*:

*Cur ventos non ipſe rogis, ingrate, petiſti?*
*Cur nardo flammae non oluere meae.*
*Hoc etiam graue erat nulla mercede hyacinthos*
*Iniicere, & fracto buſta piare cado.*

(a) Atlant. P. 1. p. 653. (b) Nov. Lit. M. B. anni 1699. p. 96. (c) Im bevölkeerten Cimbrien p. 46. (d) Cimbriſche Heidenbegr. Lib. 3. cap. 7. §. 9. punct. 9. (e) p. 55. (f) vid. Arnkiel Lib. & cap. cit. §. 8. (g) Muſ. p. 76. (h) vid. Rudb. Atlant. P. II. p. 398. Vorm. Muſeum p. 85. Nov. Lit. Maris Balthici loco antea citato. Maiors neubevölkertes Cimbrien p. 44. Arnkiel Cimbriſch. Heidenbegr. Lib. 1. cap. 23. §. 10. & 11. & Lib. 3. cap. 7. §. 9. No. 1, 2, 3. A. A. Rhode Cimbriſch Hollſteiniſche Antiquitaeten-Remarques p. 118. 230. 306. (i) Muſ. Reg. Dan. Part. II. Sect. III. No. 24. 25. & 26. (k) Lithograph. Angerburg. p. m. 87. (l) Epiſtola de vrnis Lignic. &c. p. 32. (m) Rhode lib. cit. p. 315. (n) Theolog. Gent. Lib. VI. p. 715. (o) De raptu Proſerpinae. (p) Arnkiel lib. cit. p. 308. Rhode lib. cit. p. 101. (q) Lapponia Illuſtrat. cap. 27. (r) Rudb. Atlant. Part. II. p. 399. (s) Lib. cit. p. 388. (t) Lib. cit. 386. (u) Atlant. Part. I. p. 653. (v) Cimbriſch. Heidenbegr. Lib. I. cap. 23. §. 10. (x) Loco iam citato. (y) Lib. antea citat. p. 282. (z) Lib. IV. Eleg. VII.

CAPVT III.

# CAPVT III.

## DE VSIBVS VARIIS CERAVNIORVM, MAXIME SVPERSTITIOSIS, EORVMQVE CAVSIS.

## ARGVMENTVM.

*§. I. De vſibus inſtrumentorum lapideorum domeſticis bellicisque.*

*§. II. An Gallorum caſtrationi, aut victimis immolandis cultri lapidei inſeruiuerint.*

*§. III. De religione ſapientum gentilium, inprimis Scandianorum.*

*§. IV. Solis cultum fuiſſe plerisque gentibus communem.*

*§. V. Iouem, Thoronem & Herculem cognata, ſi non eadem veteribus fuiſſe numina.*

*§. VI. De cultu ignis lapidumque.*

*§. VII. De ſuperſtitioſo cerauniorum cultu & vſu concluſio.*



### §. I.

Inſtrumenta antiquiſſima vſibus neceſſariis & domeſticis inſeruientia, nondum ferri vſu & tractandi arte cognitis, fuiſſe lapidea, non equidem dubitandum videtur; ſaltem veriſſimum eſt, apud barbaras quasdam gentes, artis fabrilis minus gnaras, lapides duriores ad hoc aptatos & politos etiam nunc ferramentorum vice fungi; quod Muſeum Regium Danicum auctoritate Ludovici Hennepini teſtatur, nempe Americae Septentrionalis quosdam incolas, prouinciae nimirum Louiſianae, qui ferri vſum ab Europaeis nondum didicerunt,

*loco ſecuris cultrique adhibere lapides acutos, quos animalium dentibus dolant & exacuunt* (a). Neque vero hos ſolos vſos fuiſſe inſtrumentis eiusmodi lapideis euincit (b) *Sagitta ex lapide nigro in lardo vituli marini in Islandia reperta. Conſpicitur in eius parte latiore foramen exiguum, quod forſan filum ex ſubtilioribus balaenarum cirrhis a Grönlandis infixum habuit, cuius ope vulnerata beſtia eo aptius attraheretur. Ferreis enim organis deſtituti, ea ex lapide & vnicornu Groenlandi efformant.* Quod teſtimonium idem auctor loco iam citato exhibet. Sic Virginiae quoque antiqui incolae e duriſſimo quodam ſaxi genere ſecures ad ligna findenda parare narrat Thomas Hariot (c): quomodo vero igne & lapidibus acutis lintres ſuos excauare olim ſoliti eſſent, idem refert, ſimulque demonſtrant *viuae imagines & ritus incolarum eius Prouinciae* a Theodoro de Bry (d) editae. Sed inprimis hic commemoratione non indignus erit *Nouacularum Lapis*, quem e Franciſco Ximene ſic deſcribit Vormius (e): *Cultellos aut nouaculas, pugiones & alia mille generum inſtrumenta ſimilia, quibus Indi antiquitus vtebantur tam ad vſum belli, quam ſcindendas alias res, antequam ferri vſum noſſent, ſolebant facere e lapide, quem ſuo idiomate vocant ITZLI, qui tres ſolet habere diuerſos colores, nimirum caeruleum, album & nigrum, licet omnes tranſparentes &c.* Extra controuerſiam igitur poſitum etiam hoc reor, prima veterum arma fuiſſe aut lapidea aut lignea; id enim priſci illius aeui & ſimplicitati & neceſſitati maxime conueniens erat, quod & monimentis hiſtoricorum tum veterum, cum recentiorum confirmatur (f), vt adeo veriſſime cecinerit Lucretius (g):

*Nunc*

*Nunc tibi quo pacto ferri natura reperta*
*Sit, facil' est ipsum per te cognoscere, Memmi.*
*Arma antiqua manus, vngues dentesque fuerunt,*
*Et lapides & item siluarum fragmina rami,*
*Et flammae atque ignes, postquam sunt cognita primum;*
*Posterius ferri vis est aerisque reperta.*
*Et prior aeris erat, quam ferri cognitus vsus.*

Hunc praeterea vsum ipsa figura maiorum clauarum, malleorum, cuneorumque lapideorum comprobat; talis enim illa est, vt cominus pugnantibus satis quidem efficaciter ad hostes propulsandos inseruire potuissent. Verum enim vero quo minus asserere ausim, hos lapides ob vsus tantum domesticos aut militares, vt arma & vtensilia veterum Hyperboreorum sepulcris illatos fuisse, quae iam subsequuntur rationes suadent. Primo namque inueniuntur lapides eiusmodi tam parui, vt quamuis eadem figura cuneata, qua maiores, sint praediti, nullum vnquam, aut valde exiguum vsum siue oeconomicum, siue bellicum praestare potuissent. Deinde quorundam figura, licet magnae industriae opus, ita est comparata, vt eiusmodi vsibus vix ac ne vix quidem satis accommodata atque sufficiens vnquam fuisse videatur. Certe enim sicilices, cultri, pugiones, lingulae cum ob fragilitatem, tum ob aciem admodum obtusam, quorundam etiam paruitatem, damnum aliquod maioris momenti hostibus inferre vix poterant, in supellectili autem familiari potius radulae, aut serrae loco adhiberi, quam cultri; ob operam vero artemque minime vulgarem illis impensam maioris pretii aestimatos fuisse a veteribus opinamur, quam vt in vili adeo negotio rei forte carissimae iacturam facere voluissent, cum sic facillime diffringi &

pessundari possent. Tametsi vero concedamus, maiores cuneos malleosque a pugilibus antiquis cestrorum cestuumque instar in hostium capita vibratos fuisse, facile tamen, vel leuiter intuentibus, apparet, illos nunquam lignis findendis, quod de illis Americanis iam dictum fuit, vtiles fuisse; quid, quod nonnulli eorum ex ea constent materia molliori, quae nunquam hunc vel illum vsum praestare potuerit. Praeterea vna cum his lapideis, non tantum enses aeneos, quos antiquissimis iam temporibus in vsu fuisse ex Hesiodo probant (h), sed varia insuper alia instrumenta & vtensilia ex aere, ferro, aliisque metallis parata in tumulis inueniri, antiquarii, fidei probatissimae, memoriae prodidere (i); vt ideo minus veritati congruum foret statuere; veteres necessitate coactos & metallorum vsu destitutos eiusmodi armis, non sine multo labore e silice aut aliis generis saxo duriore fabricatis, vsos fuisse. Quaerenda itaque alia nobis causa erit, cur haec viuis sine dubio perquam cara instrumenta conditoriis cum defunctis fuerint illata.

(a) Part. II. Sect. III. No. 25. (b) item Sect. II. No. 80. (c) Narrat brev. de Virginiae commod. p. 24. (d) Tab. XII. (e) Mus. p. 92. (f) vide sis Plin. Hist. Nat. lib. 7. cap. 56. Aeliani Hist. var. lib. 3. cap. 18. Alex. ab Alexandro Dier. gen. lib. 6. cap. 22. Wolfart. Hist. Nat. Hass. infer. p. 47. & seq. Helvingii Lithograph. Angerburg. p. 86. N. L. M. B. I. antea citato, Rhod. lib. cit. p. 310. & seq. (g) Lib. V. a versu 1265. (h) vid. Mus. R. D. P. II. Sect. III. No. 27. (i) Rhodii C. H. A. R. p. 101. 117. item Arnk. C. H. p. 308. &c.

## §. II.

Ebraeis gladiolos seu cultros lapideos ad sacramentum cir-

circumcisionis peragendum in vsu fuisse, perhibente Scripturae Sacrae codice verissimo simul antiquissimo, minime in discrimen vocandum. An vero circumcisionis ritus ante exortam Religionis Christianae lucem populis borealibus fuerit notus, merito dubitamus. Non quidem ignoro longe ante recepta fidei coelestis dogmata, & Baptismi sacra in Scandinauia illum viguisse morem, quo infantes aqua lustrarentur, ipsisque a viro quodam honoratiore nomen imponeretur (a); verum non memini me aliquid de circumcisione aliqua, aut saltem praua eiusdem in his, vel vicinis regionibus, imitatione, a scriptoribus prisci aeui nostratibus traditum vnquam legisse. Cybeles itaque sacerdotes, Gallos sese in memoriam *Attinis* lapideis instrumentis castrauisse, non quidem negare fas erit; at neque hanc religionem apud Hyperboreos, non secus ac veteres Phryges olim viguisse, acriter propugnandum puto. Si quid tamen rationes etymologicae valeant, vtique fatendum, omnium optime e lingua nostrate Rudbeckium (b) summum & excellentissimum obscurae antiquitatis interpretem explicasse originem nominis Gallorum ipsorum, aliorumque huc pertinentium. Addimus & hoc, siquidem Machera lapis, huic ritui adhibitus, occasionem alii superstitioni fingendae dederit, cuius iam supra facta est mentio Cap. II. §. IV. quod nomen hoc non minus, quam voci Graecae μάχαιρα, Gothicae *Mæker* cognatum indeque deriuatum videatur, nam *Mæker* gladius dicebatur, ita enim Havamal (c): *Mæker til hoggs, en mey til kossa.* Quid, quod ipse effectum inuenti lapidis Macherae Suethice explicatus (blifwa galen) in nomen & furorem Gallorum optime quadret. Atqui cum in quam plurimis

tumulis vna cum cuneis, ſilicei eiusmodi cultri reperiantur, non ſatis veriſimile mihi videtur, omnes fuiſſe Gallos aut ſacerdotes, quorum ſepulcra haec inſtrumenta ſuppeditant. Neque in ſententiam Cl. Dn. Maioris (d) dubitantis, *an vnquam ſeceſpitae* (Opfermeſſer) *fuerint, victimis caedendis olim adhibitae, quoniam tam rudi, craſſa & ſerrata ſunt acie, vt vix pullo gallinaceo iugulando, nedum tauro aut equo immolando ſuffecerint*, non poſſumus ire. Opinatur quidem idcirco Rever. Dnus Arnkiel non tam victimis caedendis, quam extis demonſtrandis, quae nefas erat manibus attingere, inſeruiiſſe, verum nullis argumentis probat hos ſiliceos, prae ceteris ex ferro & chalybe, quem etiam, vt rem ſacram, venerati ſunt antiqui, cultris, hiſce vſibus, neque aliis deſtinatos fuiſſe; atque ideo ſemper vt inſtrumenta & inſignia ſacrificulorum eſſe conſiderandos. Interim tamen non negari poteſt, vſum ſilicis in ſacris gentilium faciendis fuiſſe maximum, id enim ex iis, partim quae antea dicta ſunt, partim quae iamiam ſumus dicturi, ſatis erit manifeſtum: ſaltem heic obſeruandum, quod veluti vſus horum inſtrumentorum non ſolus & vnicus erat ſacrificatorius, ita nec ſoli Aruſpices, Sacrificuli aut Popae, ſed potius Principes & Magnates cum iisdem ſunt ſepulti. Nam hinc ab antiquiſſimis retro temporibus religionis curam Regibus ipſis Proceribusque tanquam Pontificibus maximis fuiſſe commiſſam plurimis in locis teſtantur veteres gentium ſeptentrionalium hiſtoriae (e).

(a) Videatur Snorre Sturl. Haldan Svartes ſaga 8. cap. Harald. Hârfagers ſaga 40. cap. & alibi; cur autem haec aquae aſperſio facta fuit, docet libellus in Edda dictus Runa-

Capitule, §. 21. *Þæt kan eg hit Þrettande eff Þegnum ungum verpa skal eg Vatne a, munat her falla, Þott er han i fölk kome, hnygrat sä halur fyrer hiörum.* id est vertente Resenio: *decimum tertium noui, si tenerum puerum aqua aspergam: non in armis occumbet, quamuis in aciem veniat, non cadet Vir ille ferro.* (b) Atlant. Tom. II. p. 397. & seq. (c) vers. 73. (d) bevölkertes Cimbr. p. 44. (e) Diodorus Siculus Bibl. lib. 2. C. 11. Hervarar saga cap. I. 13. & 20. Herrauds oc Boses saga p. 34. Snorre Sturlessons yngl. S. cap. 5. 12. 13. 18. & 29. nec non Hâkon Adelstens fostres S. cap. 16.

## §. III.

Vt tandem certi aliquid de rationibus, quibus ducti veteres hos memoratos Ceraunios fictitios tanti fecerunt, vt viui eosdem secum ferrent, nec iisdem mortui aut in altera vita carere vellent, statuam; Theologia Ethnica paulo altius repetenda & euoluenda erit, quatenus nimirum angusti termini huic progymnasmati praescripti, id permittant. Quod si igitur gentium orientalium antiquissimas de DEO sententias consulere velimus, ex paruis illis, quae adhuc restant apud auctores varios doctrinae Zoroastris, Hermetis, Orphei aliorumque Philosophorum reliquiis easdem fuisse eximias & theologiae naturali saniori congruas. Sic Persae DEVM, quem O. M. putarunt *Oromazem* & *Oromasdem* aut *Hormisdasten* (a) appellarunt, illum, referente, e Plutarchi libro de Iside & Osiride, Ramsaeo (b), definientes *Principium luminis, quod omnia creauit & produxit*, vel prout Zoroastres apud Eusebium, citante eodem, docuit, *DEVS est incorruptibilium primus, aeternus non natus; nullis partibus compositus, neminem habens sibi*

*vel*

*vel ſimilem vel aequalem; auctor omnis boni, aequiſſimus & puriſſimus, ſuper omnes omnino excellentias excellentiſſimus; omnium intelligentiarum ſapientiſſimus; iuſtitiae bonarumque legum parens; a ſemetipſo informatus, ſibi ipſi ſufficiens & primus naturae productor.* Ita de Aegyptiis quoque ex Iamblicho idem auctor (c) perhibet, quod docuerint *primum DEVM in ſua vnitate ſolitaria exſtitiſſe ante omnia exiſtentia; illum eſſe fontem & ſcaturiginem omnis intelligentiae & intelligibilis; illum eſſe primum principium, ſibi ipſi ſufficiens, & patrem omnium rerum.* Neque a praecedentibus diſſentire videntur antiqui Sinenſes, qui ſub nomine *Chang-ti* aut *Tien*, id eſt *Imperator*, tanquam primum religioſi cultus obiectum ſuſcipiebant *Eſſentiam ſupremam, Dominum & omnium rerum principium ſummum; dicunt autem interpretes, quod Tien ſit ſpiritus, qui caelo praeſidet, quoniam caelum eſt opus excellentiſſimum a primo hoc principio productum* (d). Quemadmodum vero cum his pulcre conueniunt ſaniora philoſophorum quorundam Graecorum & Romanorum de ſummo Numine effata (e), ita nec defuerunt inter priſcos Scandianos, qui ſupra plebem, etiam de DEO ſaperent. Hoc quidem multis exemplis, nimirum Regis Daniae Frothonis, Haraldi Pulcricomi Norvegiae Regis, nec non Thorſteinii Krafla, aliorumque celeberrimus Bartholinus (f) probauit; ſed breuitatis gratia tantum haec, quae ſequuntur, heic annotanda duxi. Primo enim ſolis creatorem Refo iter in Grönlandiam paranti, & nauem iam conſcenſuro Gieſtus auunculus propitium precatur his verbis: *Mæli ek nu oc ſuo fyrir at ſua ſami ſem ſolina hafir ſkapad efli Þik til godra hluta*

*h. e.*

*h. e.* vertente eodem ex Krokarefs Sagâ: *Obteſtor & precor illud idem, quod ſolem creauit, vt te in omnibus proſperum reddat.* Deinde ex Watzdaela idem auctor producit Thorſteinum Ingemundi filium credentem DEVM omnium creatorem premia bene meritis collaturum eſſe; ſic enim loquitur: *Þeſſ mun fadir vor niota hia Þeim ſem ſolina hæfir ſkapad oc allan heimenn, hver ſem ſa er* h. e. *feret ob hoc pater noſter praemium ab illo, quis demum ſit, qui ſolem & vniuerſum creauit mundum.* Hinc eidem ſupremo Numini votum vouentem eundem hunc Thorſteinum, & ſic verba facientem ex memorata Hiſtoria infert: *Nu vil ek heita a Þan ſem ſolina hefir ſkapad, Þui ek trui hann mattugaſtan, at giora Þat:* h. e. *Nunc illi qui ſolem creauit hoc votum voveo, illum enim ſummae potentiae ad hoc faciendum credo.* Hiſce tandem ſuperaddam *Thorkillum Mane virum*, iuxta libri, qui dicitur Landnamma, atque Arngrimi Ionae teſtimonia, *integerrimae vitae & inter optimates Islandiae celebrem, qui ſub agonem aduerſo ſoli ſemet exponi curabat, coelique & totius mundi opificium palam admiratus ei Deorum, qui ſolem reliquaque creaſſet ſidera, fugientem commendauit animam.*

(a) Voſſ. de idolol. lib. I. p. 12. (b) Diſcours ſur la Mythologie par M. Ramſay p. 5. & 6. (c) pag. 14. (d) Deſcription de la Chine par Mr. le P. I. B. du Halde Tom. 3. p 3. (e) Voſſ. de idolol. I. 1. cap 1. Ramſay l. c. p. 30. & ſeq. (f) Bartholin. Antiquitat. Danic. de cauſis contempt. a Danis adhuc Gentilibus mortis lib. I. cap. VI. p. 83. & ſeq.

## §. IV.

Verum enimuero etſi quidam (a) contendant antiquos

Perſas aliasque gentes ſolem, aſtra, ignemque quidem adoraſſe, ſed modo vt ſymbola & imagines ſupremi illius DEI, totius naturae auctoris; attamen ſatis manifeſtum eſt, illos non ſolum *Mithram* ſeu *ſolem* tanquam *DEVM quendam inter Oromazem boni fontem & Arimanium, mali principium*, quorum *hunc Veioui*, *illum Ioui* Romanorum reſpondiſſe, putat Voſſius (b), *medium* coluiſſe. Verum etiam quod Magorum & Philoſophorum coelum, ſolem, ſidera, ignem atque cetera elementa admiratione ſtupida contemplantium, vitamque illis tribuentium & aeternitatem, atque ſic ſummo DEO plures intelligentias ſubordinantium figurati ſermones & affectata obſcuritas, qua religionis myſteria naturalemque philoſophiam aenigmatis ſcrupisque obuelare ſatagebant, paulatim numerum Deorum auxit, & vulgi animos a re ipſa ad ſigna externa & hieroglyphica ſeducens idololatriam magis magisque propagauit. Poſtquam vero etiam viuentium in parentes, liberos & conſanguineos defunctos, ac inprimis ciuium in Heroes & Reges demortuos, pius & venerabundus affectus apotheoſes introduxiſſet (c); Poëtarum autem faecunda & ludibunda ingenia morales, phyſicas & hiſtoricas res cum theologicis commiſcentia, confundentia, & ſumma fingendi licentia fabularum tricis inuoluentia, mythologiam multiplicaſſent, ſimulque facem adulationi ac ſuperſtitioni praetuliſſent; tot tandem numina, quot fere res ſunt, ſibi adoranda finxerunt miſeri gentiles, has varias, obſcuras, inconditas, ſibi ipſi contradicentes, & ſanioribus philoſophiae principiis contrarias fabulas pro theologia, atque quod aiunt, nubem pro Iunone, amplexi! Interim tamen & Philoſophorum dogmata (d) & ipſa tot a vatibus excogitata ſimulacra,

quibus

quibus sub vno Panthei schemate insignia & proprietates plurium Deorum coniunxere & coluere (e), non dubitare sinunt, sapientiores semper vnum summum numen agnouisse; non paucos tamen ipsum naturae auctorem cum opere suo confundentes maiora eius opificia, mundique corpora totalia, immo quaeuis magis conspicua beneficia, tanquam varios maiorum minorumque gentium deos diuersis nominibus distinxisse, & primum vt Symbola, mox vt ipsa numina adorauisse. Hinc prae ceteris omnibus caelum solemque plerique gentes diuino cultu prosequuti sint, adeo vt si non omnis, certe magna mythologiae seu theologiae paganicae pars hoc falso creditum numen respiciat. Etenim solem sub Iouis, Saturni, Osiridis, Mithrae, Iani, Adonis, Attinis, Herculis, Apollinis, Dionysi seu Liberi Patris, Aesculapii, Martis, Mercurii, aliisque nominibus a Romanis, Graecis, Aegyptiis, Persis, Phrygibus, Phoenicibus, Aethiopibus, Massagetis, Scythis, Hyperboreis & aliis populis cultum fuisse praeter Herodotum (f), Diodorum Siculum (g), Strabonem (h) & si qui sunt, plures, operose probat Macrobius (i); erudite idem confirmantibus Vossio (k) Lundio (l) & Scheuchzero (m), quorum hic insuper etiam Iaponensium & Peruanorum Heliolatriae mentionem facit, simulque, *sunt*, inquit, *quibus famosus ipse Baal est sol, vt est Lilio Gyraldo Syntagm. 2; Bel nomen idem cum Graeco* ἥλιος, *quem solem Assyriis Hel i. e. DEVM vocari tradit Seruius Aeneidos 1.* Ille vero, *Iouem eundem fuisse ac solem & caelum, & Heliopoli cum Assyria, tum Aegyptia cultum fuisse*, inter multa alia huc pertinentia, fuse ab eodem disputata, asserit. Quod si minus alicui satisfaciat de *Hyperboreis Apollinem colen-*

 *tibus*

*tibus* Diodori Siculi ſupra iam citatum teſtimonium; idem admodum luculenter auctores indigenae probabunt. Nam ex iisdem non difficulter adſeritur, primarios, quos priſci Gothi adorauere Deos, Solem inprimis ſignificaſſe, eidemque ſub *Othini*, *Thori* & *Freyeri* nomininus cultus ſacros factos fuiſſe, ſed praeterea etiam *Baldur* & *Loge* ſolem fuiſſe appellatum; id enim multis, atque minime ficulneis argumentis adſtruit celeberrimus Rudbeckius (n); & quidem quod ad Othinum, igneum Hyperboreorum Deum, quem Allfaudur Omnium Patrem & Alldafaudur Temporis Patrem dixerunt, & animas hominibus immortales, ad ipſum aliquando redituras dediſſe, exiſtimarunt, attinet, vna cum Cl. Verelio (o) conſentientem habet Doctiſſ. Thormodum Torfaeum (p). Sed praecipue hoc Mythologiai lla antiqua Scandianorum, quae Edda (q) dicitur, euincit; ex eiusdem enim fabulis, nec non formulis loquendi poëticis ſatis conſtat; quod quemadmodum *Aegyptiis Oſiris fuit, non tantum Sol, ſed etiam Pluto, Liber, Serapis, Apis, Oceanus & Sirius*, vti ex Plutarcho commemorat Voſſius (r); ita quoque in vno Othino *Coelum, Solem, Neptunum, Martem, Apollinem* & *Plutonem* venerati ſint ſeptentrionales. Fulminatorem autem Deum creditum quoque fuiſſe Othinum vel Phraſis illa popularis Oſkan går, tonat; Oſkeſlag fulmen; inſinuare videtur, quoniam inter multa alia, quae habuit, cognomina, Oſke quoque dictus fuit. Sic etiam Romani fulmina nocturna Summano ſeu Plutoni tribuebant (s). Freyerum, Baldrum atque Logen (id eſt flammam) nomina ſolem etiam denotantia, breuitatis cauſa, praetereo, Lectorem ab antea laudatos auctores (t) remittens.

(a) Ram-

(a) Ramſay l. c. p. 5. & aliis in locis paſſim. (b) Voſſ. de idolol lib. II. cap. 9. (c) Sapient. 14, 14. (d) Cicer. de Natur Deor. lib. 2. c. 2. lib. 3. c. 39. de legib. lib. 1 c. 8. Tuſc. Qu. lib. 1. c. 27. Senec. de Benef. lib 4. p. 311. Epiſt. 65. & Natur. quaeſt. lib. 2. cap. 45. (e) Voyage de Dalmatie &c. par Mr. George Wheler p. 294. M. Miſſons Reiſe nach Italien p. 721. Ebermayeri Gemmae ab Erh. Reuſch. illuſtrat. Tab I. No 4. p. 3. (f) vide ſis Eiusdem Clio. 131. 212. Melpomene 33. 59. Polymnia 37. (g) Lib. II. cap. XI. & lib. III. cap. V. (h) Lib. XI. (i) Saturnal. lib. I. (k) De Idolot. lib. 11. a cap. 1. ad 17. incluſiue & paſſim alibi. (l) C. Lundii diſſert. de Zamolxi cap. V. (m) Phyſica ſacra ad Tab. CCCXXVII. & CCCXXVIII. p. 405. nec non p.. 771. (n) Atlant. Tom. II. cap. V. ſigillatim de Othino p. 145. de Freyero Tom. I. p. 693 695. Tom. II. p. 159. de Baldro Tom. I. p. 455. Tom. II. p. 152. de Loge Tom. II. p. 145. 429. (o) Not. ad Gauthreks S. p. 35. & ſeq. Item Not. ad Hervarar S. p. 6. (p) De ſerie R. D. lib II. cap. III. (q) Part. I. Mytholog. III. V. IX. XII. &c. Part. II. Tit. Noefn. Odens quibuscum conferri poteſt Bartholinus de Antiquit. Dan. p. 379. (r) de idolol. lib. II. cap. X. (s) Pomey Panth. Myth. p. 10. (t) Praeter Atlanticam euoluant Edd. Mytholog. XX. & XXI. item Göthriks S. p. 37. quibus addi poteſt Keysler de antiquit. ſept & Celt. p. 157. & Claeffelii Antiquit. Sept. p. 411.

## §. V.

Quemadmodum *Iouis* titulum ſummo Numini atque Soli tribuiſſe veteres ex allatis, multisque aliis antiquitatis documentis colligi poteſt: ita quoque ſub *Thoronis*, qni facile demonſtratur idem ſeptentrionalibus, ac Iupiter Romano aliisque populis fuiſſe, nomine cum maximum mundi Lumen, tum ipſum Numen O. M. adoratum fuit; illud Antiquarius noſter Clariſſimus (a),

hoc tabula polyglotta, quam Nobiliss. Strahlenberg edidit, vbi quasdam nationes Scythicas hodie adhuc supremum numen *Thor* appellare, alias autem *Iumala*, quod nomen Finnis hodie DEVM, Biarmensibus olim Thoronem significauit, vocare comperimus, probat (b). Inter multa Iouis cognomina vel hoc fuit praecipuum, quod *fulminator* diceretur, vti de illo canit Maro:

*- - - O qui res hominumque deumque*
*Aeternis regis imperiis, & fulmine terres* (c).

Attamen quoque eidem pluuiam imbresque tribuerunt, vnde *Pluvius* appellabatur, de quo ita Tibullus:

*Arida nec pluuio supplicat herba Ioui* (d).

Sed inprimis eleganter Virgilius:

*Tum Pater omnipotens faecundis imbribus aether*
*Coniugis in gremium laetae descendit, & omnes*
*Magnus alit, magno commistus corpore foetus* (e).

Nec multum ab his discrepant, quae de Thorone suo Sueones narrasse refert Adamus Bremensis; illum *praesidere in aëre, ac tonitrua, fulmina, ventos, imbresque, serena & fruges gubernare.* Additque insuper *Thoronem sceptro ornatum, Iouem exprimere*, videri (f). At multo magis fulmen, in Gigantes olim vibrari solitum, quod dextra Iouis tenet, illum Thoroni, Ioui Hyperboreo similem reddit; hic enim fulminis instar gestat Malleum ideo miölner dictum, quod omnia conterere crederetur; de quo sic Edda: Han å og thria kostgripin: Eirn er hamarin Miölner er Hrimthussar och Bergrisar kienna, er han kiemur å lopt. &c. *Possidet quoque tres pretiosas res, quarum prima est malleus* Miölner *dictus, quem Cyclopes & Gygantes vibratum sentiunt* (g). Quod etiam Thuras seu Thurras, Taranes atque Taras ab hoc Thorone non

sint

ſint diuerſi, ſed vnus idemque, ſatis videtur probabile. Nam *Thurras ſiue Mars qui poſt Ninum in Aſſyria regnauit, deinde pro Deo cultus fuit, Baal dictus* (h); non ſecus ac ipſe *Iupiter*, *Martis* Ἀρεῖος Ζεὺς dicitur (i) *Iouem* vero, *Martem* & *Solem* idem numen primitus exiſtimatum fuiſſe iam ſupra Macrobii (k) & Voſſii (l) auctoritate inſinuauimus. De *Tarane* autem ita modo nominatus auctor, *Iupiter*, inquit, *Celtis veteribus Taranis*, *quaſi* βροντᾶιον *ſeu tonantem dicas*, *nam hodieque Cambro-Britannis ſiue Wallis Tonitru vocatur Taran* (m). Nec abſque cauſa *Taras* ille, qui in hoc nummo ſubiecto, quem e Goltzio mutuum ſumpſit Clariſſimus Rudbeckius, Herculis inſtar dextra clauam ſubleuat, & ſiniſtra apprehenſum Leonem ad ſe comprimit, ab hac nomen TARAΣ, ab altera parte arcum Scythicum habens, infra autem literam




*Belgthor* Gothis dictam; huc refertur & ab antiquario doctiſſimo explicatur *Thoras* ſiue *Aſathor* (n). Fuit autem *Thor filius Othini* (o), quanquam non diffitendum, alios quoque Thorones commemorare Eddam (p); Othinus vero cum cognominari *Hnikur*, *Hnikudur* & *Hleſrodur* ſoleat (q), quae nomina Neptunum ſignificare volunt, vtique ſic recte dicitur *Taras Filius Neptuni* apud L. Coelium Rhodiginum (r) & Alexandrum ab Alexandro (s). Sed fortaſſe minus conueniens Thoroni hoc alicui videtur, quod heic Herculeo habitu Taras repraeſentetur. At *clauam* iamdudum Thoroni tribuit Saxo Grammaticus: *Sed &*, inquiens, *inuſitato clauae libratu cuncta clypeorum obſtacula lacerabat*, *tantum ad ſe inceſſendum hoſtes inuitans*, *quantum ſocios ad tuendum. Nullum erat*

arma-

*armaturae genus, quod impellenti non cederet. Nemo ferientem tuto excipere poterat. Quidquid arcebat, obruit. Non clypei, non cassides impactum pertulere robur. Nulli corporis aut virium magnitudo subsidio fuit* (t). Caeterum cum Philosophis Hercules, qui Apuleio *mundi lustrator hominumque domator* dicitur *potestatem solarem* denotet (u), mirum vtique non est, maximam similitudinem inter illum & Thoronem, Herculem Hyperboreum, vtriusque Mythologias conferenti, sese manifestare. Nomen, quod Gothicum esse dudum satis feliciter probarunt Cl. Rudbeckius (x), Andreas Stobaeus (y) & Laur. Böker (z) Secretarius olim ciuitatis Gothoburgensis eruditissimus, lubens praetereo, saltem, quod *Thor fortem & audacem; Hercules principem*, & *exercitus ducem* significet, indicare sufficiat. Ille cum *angue Midgardiano* (*a*) decertauit, hic *hydram Lernaeam* (*b*) deuicit. Ille cum *Hrugnero*, hic cum *Bergione* & *Albione* conflixit; de illo certamine omne *cotes* testantur (*c*). Huius certaminis monumentum est *campus lapideus* in Gallia Narbonensi (*d*). Vterque *gigantes* profligauit & occidit (*e*); ille *malleo* armatus, hic *claua*; vnde hic Bane Jötna og Tröllqwenna: *gigantum & veneficarum occisor* (*f*) ille *monstrorum malleus* (*g*) dicebatur. Ille *baltheo fortitudinis Meigingiarder* dicto, qui robur eius duplicatum reddidit, cingebatur (*h*), hic *exuuiis Leonis* in potentiae & roboris signum circumdabatur (*i*), vel etiam *adiuncto leone* ornabatur, antiquis enim leo erat *solis* Hieroglyphicum (*k*), cum propter igneam naturam huius animalis, cuius ossa collisa non secus ac silex & chalybs ignem suppeditare dicuntur (*l*), tum sol, *quando leonis signum permeat, maxime sit validus & robustus* (*m*); vnde etiam

Persae

Persae *Mithrae imaginem leonis forma* effingebant (*n*). In alio denique nummo *Taras Delphino*, qui alias etiam *Apollini & Baccho* sacer erat, insidet (*o*); in monumento vero lapideo apud Keyslerum *Hercules Magusanus* dextra *Delphinum* sustinet (*p*). Vltimo huc referendum opinor, Thoroni a pugna Hrugneriana remansisse portionem *Cotis*, qua hostis antea pro hasta vsus fuerat, *in capite defixam*, quam frustra incantationibus prae gaudio deficientibus *Groa* extrahere conata est (*q*). Herculem vero vehementi furore agitatum *Mineruam impacto lapide consopiuisse*, illum autem lapidem σωφρονιστὴρ dictum fuisse (*r*) fabulae comminiscuntur. Sic forte non tantum hanc comparationem amplius diducere, sed & aliam inter *Thoronem* & *Apollinem* instituere liceret, si modo breuitas temporis permitteret. Pauca tamen haec non possumus non addere, quod quemadmodum *sol* olim corona *duodecim radiorum* pingebatur (*s*), ita & suum Iumalam, qui Thor erat Gothorum circum caput *duodecim stellis* cinctus (*t*), corona *duodecim gemmis* instructa ornauerunt Biarmenses; nec aliunde forte deriuanda illa superstitio, quod quidam armillas e *duodecim lapidibus* pretiosis, singulis singulis anni mensibus consecratis & insculptis Zodiaci signis propriis, gestandas tanquam certissima amuleta contra quaeuis infortunia commendent (*u*). Deinde etiam hoc videtur memorabile, quod *vultur* fingatur templi illius Iumalae custos; quoniam eadem illa auis erat, & *Anni*, & *Solis*, & *Herculis*, & *Martis*, & *Coeli* sacrum Aegyptiis symbolum (*x*).

(a) Atlant. Tom. II. p. 153. 227. 230. 290. (b) Annexa operi, cui titulus: Historisch-geographische Beschreibung des Nord- und Östlichen Theils von Europa und Asia. (c) I. Aeneidos. (d) lib. I. Eleg. 8. (e) II. Georg. (f) Chorograph. Scandinauiae p. m. 25. (g) P. I Mythol. XIX. ex manuscripto, quod olim habuit Nobiliss. Iac. Isthmenius Reenhielm, lo-



eum hunc ita ille annotauit. Han a oc Þria Kostgripi: ein er hammarin Miolner, er hrimthussar oc bergrisar kienna er a lopt kiemur, oc er Þad ey undarligt, Þui at Þermed hafur han lamdan margan haus a fedrum Þeira oc frændum. Vid. Not. eiusd. ad Odd. Munch. Olof Tryggvassons S. p. 81. (h) Voss. de Idolol. lib. 1. cap. 16. & 24. e chronico Alexandrino. (i) Pom. Panth. Myth. p. 19. (k) Saturn. lib. 1. cap. 17. 19. (l) De Idolol. lib. II. cap XIII. (m) Voss. lib. cit. cap. 33. (n) Rudb. Atlant. Tom. I. p. 711. (o) Myth 19. (p) Prologi cap. III. & Mythol. 18. (q) Edda P. II. Tit. Nœfn. Odens. (r) Lect. Antiq. lib. X. cap. 11. (s) Dier Genial. lib. IV. cap. XV. (t) Hist. Dan. lib. III. p. 41. (u) Io. Pierii Valeriani Hieroglyphic. lib. III. cap. X. item Reusch. in gemm. Ebermay. p. 21. 22. (x) Atlant. Tom. I. p. 750. & seq. (y) Diss. de Freto Herculeo vero. cap. 3. not. 6. (z) Epist. Mscr. de Antiq. Vestrogothic. ad D. D. Ol. Rudb. fol. 21. 22. (*a*) Edda Mythol. 41. 42. (*b*) Natal. Com. Mythol. lib. VII. cap. I. (*c*) Edda Myth. 55. (*d*) Pompon. Mel. lib II. cap. V. (*e*) Edda Mythol. 19. & L. C. Rhodigin. lect. antiq. lib. 30. cap. 33. (*f*) Edda P. II. Tit. Thor heiter. (*g*) L. C. Rhodiginus lib. 14. cap. 14. (*h*) Edda Myth. 19. (*i*) Pom. Panth. Myth. p. m. 235. & passim in nummis & gemmis. (*k*) Reusch. in gem. Ebermay. no. 438. & 449. p. 215. & 223. Horapollin. Hieroglyp. lib. I, §. 17. & 21. (*l*) Io Pier. Valer. Hieroglyph. lib. 1. cap. 10. (*m*) Idem auct. lib. cit. cap 1. (*n*) Voss. de Idolol. lib. III. cap. 74. (*o*) Pierii Hieroglyph. lib. XXVII. cap. 2. 3. 4. (*p*) Antiq. Celtic. p. 200. (*q*) Edda Mythol. 55. 56. (*r*) Rhodigin. Lect Antiq. Lib. XVII. cap. IV. (*s*) Reusch. lib. cit. p. 66. (*t*) Olavi Magni Epitomes Hist. sept. lib. III. (*u*) Herauds & Bosa sag. cap. 6. p. 32. (*x*) vid. Unterricht von denen 12. Monath-Steinen edit. Landesh. 1732. in 8vo. (*y*) Herrauds och Bosa sag. cap. 28.

§. VI.

Iam satis constare, Thoronem igneum olim creditum fuisse DEVM, arbitror, non *Gigantibus* solum, sed etiam *Daemoni-*

*bus*

*bus* infeſtiſſimum & maxime metuendum; de qua re etiamnum rudis plebecula, ſuperſtitionibus nunquam non admodum dedita, diu dubitare neminem permittit. Quiuis enim facile veriſſima comperiet, quae de Thorone & fulmine commentatus eſt doctiſſimus Verelius, vbi, *nec gigantes tantum*, inquit, *qui iam ſupereſſe deſierunt, ſed & daemones Thoronis Malleo conteri ſtulta & pertinax vulgi eſt perſuaſio. Inde cum rupes, ſaxa, domus, antra aut huiusmodi alia fulmine tanguntur, daemones latibula ibi quaerentes a Thorone indagatos necatosque arbitrantur, hinc non improuida, vt putant, cautio, ne Thorone fulminante, denſam arborem aliudue, quod imbrem arcere poſſit, foris conſtituti ſubeant, malintque ſub dio denſum ac praecipitem excipere nimbum, quam caput ſubducendo pluuiae, daemonum periculis miſceri* (a). Idem hoc tritum prouerbium: Om intet Thordön woro förgingo Werlden af Troll, indicare videtur. Quod ſi vulgo credimus, non tantum fulmen, verum etiam ſol, ignis, immo corpora quaedam, quae ignem incluſum habere, ſibi perſuadet & miratur indoctum vulgus, *daemones* & *incantamenta* quaeuis fugare & diſſoluere poſſunt. De ſole ſpectra & daemones, qui ne alitis, Phoebi nuntii, cantum quidem ferre poſſunt, fugante & necante multa toto die narrant aniculae, quarum ſtultitiam lepidiſſimus Danorum Satyricus ingenioſe notat & ridet (b). Et certe credo paucos admodum ignorare, quantas vires *Chalybi* tribuat hominum plebeiorum inueterata ſuperſtitio. De lapidum cultu religioſo, aut potius ſuperſtitioſo, quaedam iam ſupra adnotata reperiuntur, ſed longe plura addi poſſent, niſi tempus & facultates prohiberent. Pauca igitur tantum in argumenti illuſtrationem adducam. *Solem Emiſeni colebant in montis effigie, quem montem Caelo delapſum credebant. Hinc Elagabal dictus Sol apud illos quaſi DEVS Mons. Eius enim ſimulacrum erat ingens ſaxum rude & impolitum, in modum plane montis vel rupis.* Haec Salmaſius (c). Cum quo conferendus Herodianus, qui docet *Lapidem fuiſſe maximum, nigrum, ab imo rotundum, & ſenſim faſtigiatum propemodum ad coni figuram* (d). Neque forte ab hoc longe diuerſus erat *DEVS Carmelus*, cuius oraculi mentionem facit Suetonius (e). De lapidum cultu teſtatur *Moloch;* in cuius corona reluxiſſe lapidem pretioſum ex

Oecumenio refert Vossius, eundemque solem repraesentare autumat (f). Deinde *Serapis*, ad cuius simulacrum conficiendum praeter varia metalla & *haematiten* lapidem, gemmae *Saphyrus*, *Smaragdus* & *Topazius* recipiebantur (g). Tum *Agdus* & *Agdestis* ex petra nati; de quibus etiam erudite differit Cl. Vossius (h). Sed inprimis *Iupiter Lapis*; vnde Romani dicebantur *iurare Iouem Lapidem*, cuius iurisiurandi, omnium sanctissimi, solennis formula haec erat: *Si sciens fallo, ita me Diespiter, salua vrbe arceque, bonis eiiciat, vt ego hunc lapidem*, simulque *Silicem* ab ara acceptum proiiciebat (i). Cui non dissimilis alius erat ritus, quem in foederibus sanciendis adhibebant, nam *fecialis*, inquit Pierius, *laeua manu agnum, dextra silicem retinens, si falleret, Iouem caeterosque Deos precatus, ita se mactaret, quemadmodum ipse agnum: & secundum imprecationem saxo caput pecudis elidebat* (k). Ab hoc iterum parum sane abludit, quod in hunc modum commemorat Alexander ab Alexandro: *Fertur Aristides, vt ictum foedus cum omni Graecia firmaret post diras exsecrationes, accensos ferreos orbes in mare deiecisse, adiurans, vt ita extingueretur cum omni stirpe & gente, qui contra foedus irent, velut ignitum illud ferrum aqua* (l). Praeterea heic quoque commemorandi videntur lapis *Manalis* & *Terminus*, quorum hunc auctores quidam aiunt fuisse *Saxum, quod Saturnus deuorare non potuerit propter magnitudinem, cum Iouem deglutire se crederet*, cuius aliquam mentionem antea feci; illum vero, cum siccitas temporis frugibus officeret, solenni pompa intra vrbem circumlatum esse, vt aqua vel pluuia *a coelo* copiose *manaret* & fruges reficeret (m). Insuper huc referendum, quod Lappones in rudi *Thoronis sui* simulacro *clauum ferreum* cum particula *silicis* olim capiti infixissent, vt si videretur ignem excuteret (n). Huic merito adiungi potest Russorum priscorum Deus fulminator, *Perun* ipsis dictus, dextra *Pyrimachum* seu *Silicem* instar fulminis tenens (o). Vltimo, at inprimis heic commemorandus est Vandalorum Deus, quem *Flintz* nominabant, quoniam & nomen, quod *Silicem* significet, & ipsum idolum, quod senem pallio amictum, *facem* dextra manu gestantem, & laeua pedem *leonis* eius humero & capiti insistentis sinistrum sustinentem, repraesentans super *Siliceum Saxum* stabat (p), ignis sub symbolo silicis cultum indigitare videtur. Quem-

Quemadmodum vero vix dubitandum, lapidum cultum fuisse symbolicum, quod saxa & rupes vt plurimum fastigiatim assurgant; quod montes quidam intra sua viscera nonnunquam ignem alere videantur; quod montes altiores tempore brumali in regionibus sub septentrione proxime sitis solem aliquamdiu quasi occultent; quod silicis & chalybis collisione non tantum, verum duorum quoque lapidum fortiore attritu ignis proueniat; nec non quod quaedam gemmae igneo fulgore resplendeant, ita etiam ea propter lapidibus his easdem inesse vires, quas igni adscribere solebant, gentiles credidisse. De ignis, quem *Aepyptii animatam belluam* existimabant, cultu non solum apud Persas & Chaldaeos, verum etiam quam plurimas alias gentes, testantur auctores non pauci (q), quibus Trogillus Arnkiel, de populis septentrionalibus ignem colentibus loco antea citato agens, addi potest (r). Sed inprimis memorabile ex Buasaga adducit Cl. Bartholinus tale testimonium (s): *frammi fyrir stod stalli Þilidir ofan med iarne Þar a skylldi vera elldr sa sem alldregi sloknadi, Þad kolludu Þeir Vigdann elld* h. e. *ante collocatae erant arae ferro coopertae, in quibus adseruabatur ignis nunquam extinguendus, quem vocabant ignem sacratum.* Obseruatione quoque non indignum reor, quod, probante doctiss. Rudbeckio, *Fur*, quod alias ignem significat, cognomen quondam esset *Solis* & *Thoronis* (t); ignem vero Sol Husana, *domorum Solem* dictum fuisse veteribus, ex Edda patet (u). Quod vero etiam Gigantibus, malis geniis & quibusuis incantamentis aduersari ignem crediderit antiquorum superstitio; ex iis, quae sequuntur, non difficile concluditur. Namque *iridem esse pontem, quem dii a terra ad coelum extruxerunt, rubrum vero, quod in illo conspicitur, ignem flagrantem, atque Cyclopes alias coelum, si omnibus illa via permeabilis esset, conscensuros* veteres Scandiani opinabantur (v). Deinde quae de Gothlandiae prima inuentione in appendice ad LL. Gothlandicas leguntur, quantas vires igni contra daemones & incantamenta tribuerit antiquum aeuum, indicant: *Gutland hitti fyrsti maÞr Þan, sum Þielvar hit, Þa var Gutland so eliust, at Þet dagum sanc, oc nattum var uppi, en Þann maÞr quam fyrsti elldi a land oc SiÞan sanc Þet aldri.* h. e. *Gothlandiam primo inuenit vir, cui nomen Thielvar, tunc erat Gothlandia incantata, vt interdiu submergere-*

 *tur,*

*tur, noctu vero sursum ferretur; ille autem vir primo ignem in ista terra accendit, & nunquam postea submersa est* (w). Tandem notatu quoque dignum extat exemplum in vita Olaui Trygguasonii, quod superstitio illa de ignis virtute contra genios malos etiam remanserit post introductum Christianismum, & multis adhuc persuasum fuisse, cacodaemones, defunctorum corpora assumere, iisdemque abuti potuisse, praesertim, si dirae accederent necromanticae. Sic enim de Eivindo Kinrisa veram suscipere religionem obstinate negante Snorro Sturlonides latino loquens, *ibi rex*, inquit, *peluim carbonibus ignitis ventri Eivindi iussit imponi, vnde subito disruptus est. Petiit tum Eivindus malluuium paullisper a se remoueri, velle enim se pauca ante mortem verba proloqui. Quo facto iterum an Christianae fidei iam se addicere velit, rogat eum rex. Minime vero, inquit ipse, nec Sacro Fonte initiari possum, siquidem ipse genius sim ad humanum corpus animandum nefandis Finnonum artibus excitus* (x). Plura huc pertinentia occurrunt & apud hunc auctorem (y) & apud Cl. Bartholinum (z), sed quae exscribere supersedeo, ne taedio sim Lectori.

(a) Notae ad Hervarar Sag. p. 36. (b) vid. Hans Michelsens Peder Paars. p. 180. (c) In Notis ad Aelii Lampridii Antoninum Heliogabalum p. 178. (d) lib. V. Version. Angeli Politiani. (e) Vespas. cap. 5. (f) De Idolol. lib. 2. cap. 5. (g) Schedius de Diis Germanis Syngr. 3. cap. 2. (h) De Idolol. lib. 1. cap. 10. (i) Rosin. Antiq. Rom. lib. 2. cap. 5. (k) Hieroglyph. lib. 49. cap. 3. (l) Dier. genial. lib. V. cap. III. (m) Idem auctor cit. lib. cap. 1. & 2. (n) Rudbeckii Atlant. Tom. II. p. 399. (o) Arnkiel. Cimbrische Heiden-Religion cap. 18. p. 109. (p) Arnkiel. lib. cit. cap. 13. p. 86. nec non Schedius de Diis Germanis Syngr. III. cap. VII. (q) Herodoti Thalia cap. XVI. Iustin. lib. II. cap. I. & lib. XXII. cap. II. Ammian. Marcellinus lib. XXIII. p. m. 458. Rhodig. Antiq. Lect. lib. XV. Alex. ab Alex. Dierum. genial. lib. VI. cap. IV. & XXVI. Voss. de Idolol. lib. II. cap. 63. 64. 65. (r) cap. 18. p. 109. cui addi possunt Snorre Sturlessons Håkon Adalstens fostres Sag. cap. 16. & Keyslerus de antiq. Celt. p. 18. (s) Antiquit. Dan. lib. II. cap. II. p. 273. (t) Atlant. Tom. II. p. 271. (u) Part. II. Tit. Ellds Kenningar. (v) Mythol. XI. (w) Gothlands Lagen om Gothlands första uprinnelse cap. I. (x) cap. 82. (y) Idem in Magnus Blindes och Harald Gylles Sag. cap. II. (z) Antiq. Dan. lib. II. cap. II. p. 276. 279.

## §. VII.

Ex his, quae iam dicta sunt, satis quidem mihi videtur probabile, hos *ceraunios* olim existimatos fuisse *Ioui* seu *Thoroni Sacros*


*vos* lapides, tanquam ipsius symbola maxime propria, silices quidem praecipue, sed quoque alios lapides propter signaturam quandam caelestem, aut si mauis, magicam. Huc etiam referendas esse cotes, fabula de pugna Thoronis & Hrugneri inculcat. Primo itaque tales ceraunios, pro certissimo palladio aut amuleto, domi forisque habitos & asseruatos fuisse; vt a domo illa, vbi seruarentur, vel possessore eos secum ferente, quaeque mala & infortunia arcerent, inprimis autem tutum redderent a fulmine, daemoniis & veneficiis quibusuis. Deinde eandem ob caussam gentiles maioribus eiusmodi lapidibus, vt armis quidem, at religiosis & ominosis, quae certam ab hoste victoriam spondèrent, etiamsi ille se magicis artibus ab omni aliorum armorum vi immunem reddidisset, vsos fuisse, cominus pugnantes; minores vero tantum vt Talismannos & lapides viuos secum portasse. Tum forte etiam in sacrificiis aliquem illorum vsum fuisse ad designandas in bonum omen hostias, quod ex historia Haquini Boni, Regis Noruegiae, quodammodo colligi potest, cum ibi signum *crucis*, pro *mallei Thoronis* nota explicatum, concitatos ad seditionem ciuium animos sedauit (a). Porro nec mos ille religiosus heic omittendus, cuius meminit Olaus Magnus, *praeterea*, inquiens, *tam obstinato animo Deorum suorum cultum obseruabant, vt concitato in nubibus fragore, sagittas ex arcubus in aëra excutientes ostenderent, se opem afferre velle Diis suis, quos tunc ab aliis oppugnari putabant. Nec ea temeraria superstitione contenti, inusitati ponderis malleos, quos Iouiales vocabant, ingenti aere complexos, magnaque religione cultos ad eum vsum habebant, vt per eos tanquam Claudiana tonitrua & per vsitatam rerum similitudinem coeli fragores, quos malleis cieri credebant, exprimerent, tantique sonitus vim fabrilium speciem imitantes, deorum suorum bellis sic se adesse, admodum religiosum existimarent* (b). Haec de *Malleis Iouialibus* auctor ex Saxone Grammatico mutua sumpsit, qui etiam refert, *Magnum (Primum,* Gothorum Regem, Nicolai Regis Daniae filium) *in quadam insula, & fanum cultu, & Iouem insignibus spoliasse* (c). Errat autem pl. reuerend. Helvingius (d), quando haec Regi cuidam *Iohanni Magno* adscribit, nam nullus hoc nomine vnquam Suethiae rex fuit. Id vero certissimum est, quod fere omnes cunei isti lapidei certo modo in tabula lignea celeriter circumacti & gyrati,

gyrati, murmura edant, tonitru vtcunque imitantia. Tandem foederis fuiſſe ſymbolum, vel inde probari poteſt, quod malleus Iovis ᚼᛅᛘᛅᛦ ᚦᚬᚱᛋ antiquis ſignum eſſet, quo populi conuentus, vigente adhuc ſuperſtitione paganica in Islandia, indiceretur, quem quilibet colonus ad vicinum ſuum perferre, diemque locum & cauſam conuentus indicare, lege & conſuetudine teneretur, nec hoc impune negligere liceret, vti Arngrimus Ionae docet (e). Denique hae viuis tanti aeſtimatae res etiam tumulis illatae ſunt, primo ne deficeret vel mortuo numen ſuum tutelare, ſed praeſto ignis eſſet, Diis manibus, *Haugbuar* olim dictis. Secundo, ne fulmine tangeretur tumulus, atque ſic disiicerentur mortuorum reliquiae (f); tertio, ne reſurrecturis deeſſet ignis & lux, aut potius anima, quam igneam eſſe credebant (g); quarto, ne in Valhalla ſeu Othini aula pugnaturis & quotidie ſeſe certaminibus exercitaturis deeſſent arma illa ſacra & victorioſa (h); ſed inprimis quinto & vltimo, vt quosuis malos genios arcerent, neue corpora ipſorum ab iis circumferri atque adeo fieri amicis aliisque moleſta *noctium occurſacula, buſtorum formidamina aut ſepulcrorum terriculamenta*, vti loquitur Apuleius, permitterent (i). Atque ſic non absque re ſcribit celeb. Scheuchzerus: *Quid ſi Bætuli hi, quorum figuras varias praeſens ſiſtit tabula, ſepulcris fuerint inditi, vt tanto tranquillius quieſcerent defuncti, quemadmodum Baetulo ſuo ſecurus incubauit Patriarcha?* (k) Id equidem veriſſimum eſt, diuerſis huius generis lapidibus, vti ex praecedentibus patet, hoc quaſi proprium, licet falſo, tribui, vt ſuauem & tranquillum prouocent ſomnum, & terrores nocturnos abigant (l). Verum hiſce veterum deliramentis diutius immorari iam taedet.

(a) Snorre Sturleſſons Hâkan Adalſtens foſtres Saga cap. 18. (b) Olavi Magni Epit. Hiſt. Septentr. lib. III. p. 84. (c) Saxo Grammat. libr. XIII. p. 236. (d) Lithograph. Angerburg p. 82. (e) Vid. Stephanii not. ad Saxon. Grammat. p. 250. (f) Rhod. C. H. A. R. p. 315. (g) Arnkiel. Cimbriſche Heidenbegräbn. p. 167. confer. Bartholinus Antiq. Danic. lib. II. cap. II. p. 270. & ſeqq. (h) Edda Mytholog. XXXV. (i) Apolog. p. m. 231. (k) Phyſic. Sacra ad Tab. LXXXVII. p. 80. vid. ſupra Cap. II. §. V. (l) vid. Boet. à Boot Hiſt. Lap. & gemm. lib. II. cap. 165. 260. 263. 265. &c.

chusium in Scania in




Cultellus Siliceus cuspidi hastæ
Similis e Rugia -




T.VII:

Securis ceraunia e Lapide marmoreo prope Ahusium in Scania inventa.



Cultellus Siliceus cuspidi hastæ similis e Rugia.



Cuneus Siliceus elegantior prope pagum Summerup in territorio Scaniæ Scythico invent,



# KILIANI STOBAEI,

MED. D. ARCHIATRI REGII, IN ACADEMIA LVNDENSI HIST. PROF. P. ORD. ATQVE REG. SOCIET. SCIENT. ET LITER. VPSAL. MEMBRI,

# OPVSCVLA

IN QVIBVS
PETREFACTORVM, NVMISMATVM
ET
ANTIQVITATVM HISTORIA
ILLVSTRATVR,

IN VNVM VOLVMEN COLLECTA.

CVM MVLTIS FIGVRIS.

PARS POSTERIOR.



DANTISCI,
APVD GEORG. MARCVM KNOCHIVM
MDCCLIII.

# V.

# INTRODVCTIO COMPENDIARIA IN NOTITIAM FVNDAMENTORVM HISTORIAE CIVILIS, INPRIMIS PATRIAE:

CVIVS

*SECTIO PRIMA*

DE MONVMENTIS LAPIDARIIS;

*SECTIO SECVNDA*

DE RE NVMISMATICA

AGIT:

SCRIPTA A. MDCCXL. & XLI.

---

## *SECTIO I.*

## DE MONVMENTIS LAPIDARIIS.



ᚴᚢᛐ·ᚼᛅᛚᛒ!

### I.

Rerum memorabilium in ciuitate contingentium commemorationem plenam fidamque, Hiſtoriam Ciuilem vocamus.

Vide ſis de Hiſtoriae conſtitutione & legendi methodo *Degorei Whear Relectiones biemales, & Methode pour etu-*

 *dier*

*dier l'histoire par l'Abbé Langlet du Fresnoy.* Quod si vberiorem eorum auctorum, qui de Methodo studii historici tractarunt, desideras notitiam, adeas Andreae Westphalii kurze Einleitung zur Erlernung der Historie.

II.

Historice est ars, modum & regulas praescribens, res singulares memorabiles veraciter & perfecte cum omnibus suis circumstantiis recensendi.

Artis Historicae fundamenta suppeditant G. I. Vossii *Ars Historica*; Vbertus Folieta *de ratione scribendae historiae* & Lucianus in libello πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν. conferantur quoque duae Dissertationes heic habitae Dni *Andreae Stobaei*: De *Caussis Haesitationis & Dubitationis in antiqua Historia*: & *de Historiae Scribendae fundamentis.* Nec non Nic. Stobaei, *de officio Historici.*

III.

Haec Historias conscribendi & examinandi ars quatuor innititur fulcris, ceu praecipuis & firmissimis eiusdem fundamentis: nimirum MONVMENTIS LAPIDARIIS; NVMISMATIBVS; DIPLOMATIBVS seu Actis Publicis; & SCRIPTORVM HISTORICORVM testimoniis.

De hisce omnibus legi meretur *libellus Augusti Friderici von Zanthier*, cui titulus: Kurze Einleitung zu den vier vornehmsten Quellen der Historie.

IV.

Omnium documentorum historicorum prima, antiquissima & maxime perennia sunt equidem Monumenta lapidaria; sed neque illa ab iniuriis temporum prorsus immunia.

Vid. *Exod. Cap. XXIV. & XXXIV. Iosuae IV. Ioseph. Antiquit.*

*tiquit. Iudaic. lib. I cap. 3. & 4.* Praeterea quoque testimonia *Platonis*, *Plutarchi*, *Eusebii*, *Syncelli* &c. in hanc rem adducit Dominus *Zanthier Lib. cit. p. 43.*

V.

Per Monumenta vero Lapidaria in genere intelligimus omnia Marmora, Saxa, Statuas, Columnas, Cippos, Obeliscos, Pyramides, Colossos, Arcus triumphales, Amphitheatra & alia quaeuis aedificia erecta aut extructa, vt insignis alicuius personae vel rei memoriam ad posteros transmitterent.

Eiusmodi Monumentorum notitiam subministrant *Ritratto di Roma Antica e Moderna di Filippo Rossi; Maximil. Missons* Reise nach Italien; *Iac. Gronovii Thesaurus Antiquitatum* &c.

VI.

Ad hæc merito etiam referimus gemmas antiquas sculptiles, capita & simulacra Deorum, Heroum, Imperatorum, Regum, Principum, aliorumque praeclarorum Virorum; nec non Dearum Foeminarumque augustarum imagines; item instrumenta sacrificatoria, ritus varios antiquos, Hieroglyphica atque Magica exhibentes. Sunt autem lapides, qui huic operi adhibiti fuere, Iaspis, Achates, Sardius, Calcedonius, Onyx, aliique nobiliores; Opus vero ipsum vel anaglypticum vel diaglypticum.

De his consulendi sunt: *Aeneae Vici Monumenta Antiqua ex Gemmis. Le Gemme Antiche figurate di Leonardo Agostini. Iacobi de Wilde Gemmae selectae antiquae. Laurentii Begeri Thesaurus ex thesauro Palatino selectus. Eiusdem Thesaurus Brandenburgicus. I. M. Ebermayeri Thesaurus Gemmarum sculptarum digestus & descriptus a*

*I. I. Baiero. Eiusdem Capita Deorum & illustrium hominum in Gemmis illustrata ab Erh. Reusch.*

VII.

Neque possumus heic propter materiae cognationem nullam prorsus facere mentionem Picturarum Antiquarum, vtut admodum rarae illae sint, ac exiguum historiae condendae momentum conferre queant.

Exempla talium vide sis in *M. Missons* Reise nach Italien p. 651. *Ioh. Schefferus de Antiquis Regni Suethici insignibus*, p. 314. & seq. Pictorum vero & imaginum compendiosam Historiam suppeditat die neueröffnete Baumeister-Academie p. m. 64. & seq. Im dritten Theil des geöfneten Ritter-Platzes; hic quoque nominandi sunt *Fr. Iunius de Pictura Veterum; Sandrarts Academie* der Bau-Bild-und Mahlerey-Kunst rc.

VIII.

In specie autem per Monumenta Lapidaria intelligimus litteris consignatas & proprie sic dictas Marmorum Lapidumque inscriptiones antiquas.

De his ex professo egerunt *Ianus Gruterus de Inscriptionibus Romanis. Ioh. Bapt. Ferretii Musae Lapidariae. Pauli Aringhi Roma subterranea. Ioh. Seldeni Marmora Arundelliana. Iac. Gronovii Thesaurus Antiquitatum Graecarum. Iac. Sponii Itinerarium Graeciae & supplementum Gruterianum. Voyage de Dalmatie, de Grece & du Levant par George Wheler. M. Missons* Reise nach Italien rc.

IX.

Sic triplicem monumentorum Lapidariorum differentiam non abs re statuere licet: Alia enim nuda sunt, nulla prorsus inscriptione ornata, sed tantum posita, vt occasionem praebeant memoriae alicuius rei per traditionem propagandae; Alia Inscriptione Symbolica,

bolica, siue ipsis rerum simulacris, aut characteribus Hieroglyphicis sunt distincta; Alia denique Litteris atque veris inscriptionibus sunt conspicua.

Qui aliquam Hieroglyphicorum Antiquitatumque Aegyptiorum notitiam habere cupiunt, adeant *Ioan. Pierii Valeriani Hieroglyphica; Nic. Causinum de Symbolica Aegyptiorum Sapientia; Ioh. Bapt. Casalium de profanis Veterum Aegyptiorum Romanorumque ritibus. Laurentium Pignorium de Mensa Isiaca; Athanasii Kircheri Oedipum Aegyptiacum; Eiusdem Obeliscum Aegyptiacum, Horapollinis Hieroglyphica Aegyptiorum.* Quibus omnibus superaddi potest *Ol. Rudbeckii Atlantica.*

X.

Inscriptiones seu monumenta Lapidaria Patriae nostrae sunt vel Runico-Gothicae, vel Romano-Gothicæ; hae ad medium & recens, illae ad antiquum aeuum vt plurimum pertinent.

XI.

Runico-Gothica monumenta vocamus, quaecunque inscriptiones Runis seu Litteris Scandianis antiquis atque sermone Gothico exaratas exhibent.

Eiusmodi Monumenta collegerunt & descripserunt *Olavus Verelius in Runographia & notis ad Historiam Hervorae;* quibus addi possunt *Monumenta aliquot Runica* ab Henr. Curione impressa & Notis ad Historiam Gothrici & Rolfonis vtplurimum annexa. *Ioh. Hadorphii* Företahl til Gotlandz Lagen. *Ioh. Peringskiölds notae ad Ioh. Cochlaei Historiam Theodorici Veronensis. Eiusdem Monumenta Vplandica. Olavi Vormii Monumenta Danica* &c.

XII.

Coetera omnia apud nos obuia monumenta, siue Latina, siue Svethica aut Germanica, Literisque siue

Romanis, siue Longobardicis siue Anglosaxonicis, siue Monasticis, siue vulgaribus sint scripta, Romano-Gothica appellamus.

Eiusmodi non pauca in operibus suis exhibet *Ioh. Peringskiöld. Vide Monumenta Vplandica & Vllerakerensia,* nec non *Svea-och Götha Konungars Aettartal.* Huc quoque pertinent *Ioh. Petr. Resenii Inscriptiones Hafnienses;* multo magis vero aliae collectiones tales in diuersis *disputationibus Topographicis.*

XIII.

Runæ sunt Litterae Scandianae seu Gothicae, aliis aliarum Gentium litteris vix aut simplicitate, aut antiquitate secundae.

Conf. *Olavi Vormii Litteraturae Danicae* Cap. XX. & seq. atque praeprimis *Olavi Rudbeckii Atlanticae* T. I. Cap. 38. §. 4. nec non *Erici Benzelii Periculum Runicum.*

XIV.

Inuentor harum litterarum celebratur Othinus; sed cum duo fuerint Othini, vtri haec gloria deferenda Priscone, an Asiatico, vt incertum in medio relinquimus.

Vide *Edd. Saemund. in Runa Capitulo v. 5. & Thormodum Torfaeum de Serie Regum Daniae* Lib. II. Cap. 4.

XV.

Certe non leues pro Prisco illo Othino rationes caussam dicunt; & forte non fuit ille diuersus ab Hermete Aegyptio qui alias Taavtus, Thoor, Thoyt, Theut, Cadmilus, Mercurius & Anubis dicitur, Aegyptiacarum Litterarum primo Inuentore; ab Hercule, qui Phrygias Litteras inuenit; ab Hercule Ogmio, Gallorum in eloquentia & artibus liberalibus magistro;

a Cadmo

a Cadmo Graecarum seu Ionicarum Litterarum auctore, qui rursus forte non alius fuit, quam Hercules Melicartus seu Phoenicius; adeo vt non abs re Othinus ille priscus Boreae filius MERKESMANNEN dici posse videatur.

Plures fuisse *Othinos* & omnia, quae de iisdem narrantur, ad vnum referri vulgo, *Asiaticum* puta seu Sigtunensem; *Othinum priscum* Boreae filium in veteri Hyperboreorum Theologia *solem* denotasse, erudite probat *Thorm. Torfaeus de serie Regum Daniae lib. II. cap. III.* quae quoque sententia fuit celeberrimorum Antiquariorum, Nobiliss. Georgii Stiernhielmii & Ol. Verelii. *Vid. huius notas ad Historiam Gothrici & Rolfi* p. 40; cum quibus omnino conferri merentur, quae de Hyperboreis habet *Diodorus Siculus* lib. 2. cap. II. Commemoratione quoque non indignum videtur, quod inter quamplurimos alios, quibus celebratur *Othinus*, titulos Edda comminiscatur ipsum quoque *Thoronem* seu Iovem, immo & *Tyr* seu Martem salutari *vid. Eddae part. I. Mythol. III. & XVIII. & Part. II. Tit. Nöfn Odins.* Sic quoque sub *Iovis*, *Herculis*, *Apollinis*, *Mercurii* atque *Martis* nominibus veteres Romanos Graecosque *Solem* coluisse *Macrobius in Saturnal.* abunde testatur. *Othinum* fuisse Runarum seu Litterarum Gothicarum inuentorem perhibet *Edda in Capitulo Runico;* insuper eiusdem, vt facundissimi oratoris, mentionem facit *Sturlaeus in Chronico Norvagico Editionis Peringskiöldianae T. I. p.* 7. vbi etiam narratur fuisse *Poëta* excellentissimus, quemadmodum *Poëtarum praesidem* quoque statuit *Edda Mytholog. 62.* Haec vero omnia quam bene conueniant cum iis, quae Mythologiae Graecae & Romanae *Apollini*, *Mercurio* & *Herculi* tribuunt, nemo non facile videt. De his rebus cui volupe fuerit plura scire, euoluat, quaeso,

*Olavum*

*Olavum Borrichium de Hermete Aegyptiorum*; *Samuelis Bocharti Canaan*; G. I. Vossium *de Idololatria Gentilium*; *Dan. Huetii Demonstrationem Evangelicam* &c. quibus, praecipue de *Hercule Ogmio*, adiungi potest *Keyslerus de antiqq. Sept. & Celticis* p. 38, cui forte meum qualecunque de *Hercule programma* superaddere non inconueniens erit. Coeterum vti satis evidens & manifestum est, veteres Poëtas sub vno eodemque nomine & Mythologia non tantum res physicas & morales saepenumero occultare, verum etiam praeclara insignis cuiusdam Herois facinora celebrare; ita quoque verisimile videtur, Othinum priscum Solis mystagogum egisse & sese pro Solis filio ignaris ac superstitiosis Hyperboreis venditasse.

XVI.

Profecto memorabile est, quod omnium Runarum seu Litterarum Gothicarum compendium siue monogramma exhibeat Caduceus Mercurii. Consideratione quoque non indignum forte videbitur, ornamenta per quam frequentia monumentorum Runicorum esse Serpentum Draconumque miros anfractus intricatosque mutuo gyros, quibus vt plurimum ipsae Runae exaratae inexistunt.

Hoc pluribus acri non minus iudicio, quam ingenio deducit & demonstrat Celeberr. Rudbeckius Atlanticae T. I. cap. 38. & seq. Conferri quoque meretur Dissertatio *de antiquis Gentium Gothicarum insignibus* sub Praesidio B M. *Andreae Stobaei* heic habita Cap. 5 & 6. Huc quoque pertinere videtur *fabula de Cadmo* eiusque vxore Harmonia in serpentes conuersis. *Metam. Ovidii lib. IV. fab. XV.*

XVII.

Certissimum etiam est, ante introductum Christianismum suas habuisse proprias litteras Sueones Gothos-

que

que; neque Runas ab Vlphila primum esse inuentas; neque iure earundem inuentionem ad rudes plebeiosque medii aeui homines detrudendam esse.

Runarum antiquitatem, & Scandianos ante Christianae religionis aduentum in septentrionales regiones, suas proprias habuisse litteras, probat *Reuerendiss. D. D. & Episcopus Lincopensis E. Benzelius in Collegio Mscr. de Historia Patriae lib. 1. cap. 14,* vbi inprimis ex Remberti Vita S. Ansgarii producit testimonium tale: *peracto apud eos altero dimidio anno praefati serui DEI cum certo legationis suae experimento & cum litteris regia manu more eorum formatis ad Serenissimum reuersi sunt Augustum.* Huic subiungere liceat Versus *Venantii Fortunati ex libr. 8. Epigr. 18.*

*Barbara fraxineis pingatur Runa tabellis*
*Quodque papyrus agit, virgula plana valet.*

Possunt etiam argumenta pro antiquitate Runarum sumi a litteris *Normannicis*, quarum mentionem *facit Wolfg. Lazius de migrationibus gentium lib. 9.* nec non *a characteribus Schyticis* in Saxis Siberiae inuentis & a Nobiliss. Dn. Strahlenberg depictis. vid. eiusdem Beschreibung des Nord- und Ostlichen Theils von Europa und Asia p. 356. & seq.

## XVIII.

Vsus Runarum apud Gothos veteres perquam varius fuit & multiplex; hinc varia etiam earum nomina ac figurae longe diuersae.

Sic veteres suos habuere Characteres magicos variis superstitiosis ceremoniis inseruientes, quales fuerunt, qui sequuntur. I. AVLRVNER: *Cerevisiariae Runae* poculis seu cornibus potatoriis, nec non exteriori manus parti atque vngui inscribi solitae. II. BIARGRVNER: *Auxiliatrices;* quibus sese putabant partu diffi-

cili laborantibus opem ferre posse, si volae manus inscriberentur, iisdemque artus & membra cingerentur. III. BRVNRVNER: *Fontanae* puppi & gubernaculo pro mercatura feliciter exercenda & periculis maritimis evitandis insculpendae. IV. HVGRVNER: *Animosae*, quas in certis corporis partibus pictas animum addere, & fortitudinem excitare credebant. V. LIMRVNER: *Arboreae ac Medicae* in corticibus foliisque arborum pingendae, vt certa praestarent vulneribus remedia. VI. MALRVNER: *Caussales* ad iniurias vlciscendas causasque vincendas locis forensibus insculpendae. VII. SIGRVNER: *Victoriales* ad ingenium augendum & victoriam obtinendam, armis praecipue aliisque instrumentis bellicis incidendae. His autem adhuc superaddere licebit *Moginruner*, *Gamanruner*, *Bokruner*, *Ramruner*, *Svartruner* & *Alfruner*, &c. quarum omnium quoque cum in monimentis antiquis, tum apud antiquitatum Scriptores mentio nonnunquam occurrit. Vid. *Steph. Not. ad Sax. Grammaticum p. 45. Thorm. Torfaeum de Serie R. D. p. 134. Ol. Vormii Litt. Dan. Cap. 5. Ol. Verelii Runograph. cap. 6.* Et haec Runarum insignis diuersitas rationes suppeditare videtur, cur non omnia monumenta Lapidea iam legi possint e. gr. Monumentum *Leragriense* & *Gomoranum* in Blekingia, de quibus agit *Vormius Litt. Dan. p. m. 66. & seq.* item *Monum. Dan. lib. 3. cap. 24. & 26.* nec non inscriptio *Cornu aurei* in Dania Ao. MDCCXXXIV. reperti, cuius delineationem sistit Libellus, cui titulus: Tilforladelig Tegning paa det Anno 1734. udi Jydland fundene Guldhorn.

XIX.

Sed quindecim tantum sunt Runae antiquissimae iuxta ordinem elementorum in tribus hisce verbis mnemonicis recensendae: FVTHORK. HNIAST. *Biarka*

*Laug*

*Laug Madr.* Quod si autem Numerorum fastorumque notas hisce adiungamus, maiorem vtique & auctiorem habebimus Runarum numerum; sed heic tantum curamus illas, quae linguae vetustae exprimendae suffecerunt, quibusdam Malrunae per excellentiam dictae, rectius forsan Bocrunae dicendae.

De hisce Litteris Gothicis consule inprimis *Runographos* iam ante citatos Cl. *Verelium* & *Vormium.* Schema autem Runas has quindecim simpliciores & vetustiores vna cum nominibus, potestate & gnomis memorialibus repraesentans in adnexa tabula VIII. habetur.

## XX.

Verum paucae hae postmodum compositione, ductuum variatione, punctione, virgularum detractione aut additione longe plures factae sunt.

De Runis *compositis* Calendariographis praecipue vsitatis agit Laudatus Verelius Runograph. p. 32. & seq. cum quo conferendus *Vormius de fastis Danicis* p. 68. & 69. *De varietatibus* Runarum fuse tractat iam nominatus auctor *Litt. Dan. Cap. 6. 7. 8. & 9. Abbreuiaturas* vero ob oculos ponit *Cap. 24,* vbi etiam de *punctatis* agit.

## XXI.

Hinc non tantum vulgares & Waldemarianae, verum etiam Helsingicae & Medelpadicae istis antiquis recentiores sunt.

Runarum Helsingicarum notitiam suppeditant *Oreades Helsingicae a Magno Celsio, Prof. Vpsalensi primum scriptae, sed denuo a filio D. D. & Prof. Olavo Celsio auctiores forma disputationum editae; Eiusdem Epistola ad Cl. Magliabechium & Erici Benzelii Periculum Runicum.* Medelpadicas simul illustrant *Andreae Celsii Cipporum Runicorum*

*nicorum in Medelpadia delineatio* inserta *Act. Litt. Vol. II. p. 14. Erici Iulii Bioerneri Prodromus* & *O. C. Runae Medelpadicae ab importuna crisi breuiter vindicatae.*

XXII.

Praeter Serpentum draconumque gyros & artificiosos ac intricatos nexus, de quibus supra; occurrunt quoque non raro in Cippis Runicis Cruces, quas vix non semper, potius certa Christianismi indicia, quam Mallei Thoronis simulacra confidenter pronunciamus; nec dubitamus, cruces illas minores ac interdum compositas, quas pro Aegishielmar seu Neptuni diademate habuit celebris quidam Antiquarius, huc quoque pertinere.

Signum Crucis exhibuisse figuram Mallei Thoronis testatur *Snorro Sturlaeus Hakon Adalsten fostres Saga cap. 18.* Hinc non defuere, qui cruces in Lapidibus sepulcralibus veterum fuisse non tam signum Christianae Religionis, quam malleum Thoronis opinati sunt. *Vide Vormii M. D. lib. 1. cap. 13.* & fuse haec eadem disputantem *nobiliss. Dominum Peringskiöldium Monum. Vpl. Part. I. p. 254.* Fateor equidem in *Lapide Råbyensi* & nonnullis aliis crucis figuras inueniri tales, quae non adeo multum a mallei simulacro abludunt, verum necesse quoque habeo fateri, non raro in iisdem cippis, vbi eiusmodi cruces, manubriis quasi instructae conspiciuntur, simul preces pro defuncto legi, quales certe in vsu gentilibus minime erant. *Vid. Lapis Farabroensis apud citatum auctorem p. 290;* conf. quoque ex collectione *Buraeana N. 28. 35. & 36.* sed adhuc magis vtique mirandum, quod eiusmodi crucis figura in Sigillis pontificum Romanorum *Alexandri III. p. 166. Gregorii IIX. p. 169. & Alexandri IV. p. 171.* ab ipso Peringskiöldio in eodem opere adductis reperiatur; quae quidem

quidem nullo modo pro Thoronis malleo haberi possit. *Conf. Act. Litt. vol. II. p. 239, item p. 438.* nec non *Act. Litt. & scient. Sv. Anni MDCCXXX. p. 70.* Figuras, quas *Aegishielmar*, id est, Cassides aut coronae Attini vel Neptuni, esse contendit *Nobiliss. Peringsk. M. V. P. I. p. 302. 303. P. II. p. 42. & 333.* non esse nisi cruces minores iam simplices, iam compositas instar earum, quae Gallicis Heraldicae artis scriptoribus *recroisetées* dicuntur, existimamus. Neque enim dissimiles sunt Characteribus in monumentis quibusdam monasticis occurrentibus. vide sis exempli gratia Dni *Peringskiöldii M. V. p. 256. & Vormii M. D. p. 245*, in quo monumento occurrit Aerae Christianae annus MDCXLV, quando vix ac ne vix quidem credendum, quenquam aliquid de Neptuni diademate vel Galea, *Aegishielm* dicta, somniasse. Quid, quod non dissimiles in Lapide *Högbyensi* ad pagum *Wismerlöf* heic in Scania figuras Coenobii Dalbyensis fuisse olim insignia *Vormius* perhibet, *citati operis p. 206.* Eiusmodi cruces quoque in Lapide Runico Lundensi ad rudera Aedium Omnium Sanctorum occurrunt, vti ex eius delineatione patet Tab. IX.

## XXIII.

Hae aliaeque, quaecunque in Saxis sepulcralibus inueniuntur figurae, aut defuncti nomen, aut vitae genus, aut dignitatem, aut religionem, aut Runographi siglam vel monogramma, vulgo Bomärcke, aut denique superstitionem respicere nobis videntur: nisi forte interdum verius sint sculptoris meri lusus, prorsus nihil significantes.

Conf. Lapis *Tulstorpensis* in Territorio Waepmandiano *Vormio Mon. Dan. p. 201.* de quo tamen obseruandum, non recte ibi delineatum esse, in ipso enim lapide sub

 Lupi

Lupi effigie triremis insculpta cernitur. Huic adinngi possunt *Högbyensis* in territorio Bardorum lib. cit. p. 206; e Runographia Verelii Lapis *Hamundensis p. 59.* & *Hargensis p. 65*; e Monumentis *Buraeanis N. 14. 20. 25. & 26*; item in *Peringsk. ad Ioh. Cochlaei Historiam Theodorici*, qui oculis Lectorum obiiciuntur *p. 488. & 493*, & alii non pauci passim obuii; quibus denuo superaddimus Monumentum Lundense huic dissertatiunculae ad calcem adnexum. scil. Tab. IX.

## XXIV.

Cippos & Obeliscos sepulcrales hosce olim instar Betulorum Hermarumque superstitioso cultu veteres Scandianos veneratos fuisse, immo vnxisse, persuadent & nomen antiquum SIGVRSTEIRN, & superstitiones quaedam apud rudem plebeculam nondum penitus abolitae.

Vid. Dissertatio *de vnctione Lapidum* Dn. Prof. Ioh. Hermansson Vpsaliae habita; cum qua conferri meretur *Hoellingii Dissertatio de Betiliis*, nec non mea *de Betulis ceraunïisque lapidibus Cap. II. §. III. & Cap. III. §. VI.* Sacrificia quoque in memoriam defunctorum celebrata olim fuisse, arae in collibus sepulcralibus exstructae, quale monumentum vno circiter ab hac vrbe milliari in territorio Bardorum Bareharad visitur Köcklinge Hönan vel Köcklinge Högen dictum, testantur. vide sis *Vorm. M. lib. I. cap. 3.* Huius generis etiam videntur fuisse colles, quos prope hanc vrbem olim extitisse, vnde Nundinae hodie Christi Himmelsfärds Marknad, dictae fuere *Trehögars marcknad* contracte *Troye marcknad*, commemorat *Herm. Chytraei Veiani de Antiquitatibus Scanicis Mscr.*

XXV.

Monumentis Lapideis omni inſcriptione deſtitutis & nudis non tuto fidem adhibeas; etſi traditiones vulgares, immo & praeſumptiones Eruditorum illa vtcunque commendent.

Exempla vide ſis in *Nobiliſſ. Peringſkiölds* Swea-och Götha-Konungars ättartal p. 8. 13. 33. Huc quoque pertinet fabula de Lapide Patriarchae Iacobi in templo Veſtmonaſterienſi aſſeruato; nec non de Lapide excauato in Hiſpania, quo tanquam naui vſus eſt Iacobus Apoſtolus, quando longinqua maria traiiciens in illam tandem regionem fuit appulſus vid. Keysleri antiq. Sept. & Celt. p. 27. & 29. Heic quoque aliquam iniicere liceat mentionem Sellae S. Brigittae in Oſtrogothia ad viam publicam, qua Vadſteno Oerebrogiam itur, conſpiciendae; itemque heic in Scania noſtra lapidis ad fontem Haraldi vulgo S. Arilds Kiälla in paroecia Brunnby. Quae quidem & eiusmodi alia vanorum miraculorum figmenta ſunt tantum aeuiterna monimenta de abſurdiſſimis impudentium & nugiuendulorum monachorum fabulis abunde teſtantia.

XXVI.

Monumenta diffracta, mutila & litteris deletis obſcura, vt aut nullum, aut certe imperfectum ſenſum exhibeant, ac ne vix quidem coniecturis occaſionem cordatioribus praebere poſſint, non facile in teſtimonium inſignis alicuius rei ſunt citanda.

Euolu. *Peringſk. Monumenta Vpl. P. I. p. 178. Eiusd. Sv. oc G. K. Aettartal p. 10.* Ridiculum ſane exemplum de Sancto Viaro ex Muſaeo Italico affert Laudatus Dominus *Lanthier L. c. p. 52.*

XXVII.



XXVII.

Vbicunque monumentum admittit duplicem explicationem, illa potius retinenda, quae ſimplicior eſt, atque ideo, vt veritati magis conſona, ita & fide dignior.

Inſigne procul dubio monumentum Beldeſtadenſe, ſiquidem Peringſkiöldiana explicatio ſibi conſtaret, vid. Bibliſka Slächt-Registret p. 16. & 17. Sw. och G. K. Aettartal p. 2. & *Er. Iulii Bioerners Prodromus* p. 10. neque *Venerab. Dominus Ol. Celſius* aliam interpretationem rei ipſi conuenientiorem ſubminiſtraret. vid. *Eiusd. obſerv. IX. circa Monumenta Sveo-Gothica inſerta Act. Litt & Sc. Sv. Anni 1730. p. 79.* Sic quoque merito, quae de Lapidis Akerenſis in Sudermania Lectione & interpretatione commentantur *Nob. Peringſkiöldius in notis ad Ioh. Cochlaei Hiſtoriam Theodorici p. 402.* & D. D. Celſius in Diſſertatione inſcripta: *Runae Medelpadicae ab importuna criſi vindicatae* p. 8. conferenda ſunt. Neque negandum, eximium multaque laude digniſſimum Antiquarium noſtratem *Cl. Verelium* aliquid humani paſſum fuiſſe in explicatione Lapidis Salmungenſis; felicius vero eundem interpretatum eſſe Laudatiſſimum *Celſium Act. Litt. & Scient. Ao. 1730. p. 78.* Sic quoque pro illa *Verelii in Notis ad Hiſtoriam Hervorae p. 192.* potius amplectimur *Nobiliſſ. Peringſkiöldii* Lectionem Lapidis Foereſtadenſis in Smolandiae territorio Vasboenſi, *in Notis ad I. C. Hiſt. Theod. p. 404.*

XXVIII.

Inſcriptiones Monumentorum non ſunt pro ingenio & affectu Lectoris reique probandae indigentia, vno aut pluribus verbis ſupplendae, & ne quidem vnicae Litterae additione aut ſubtractione Hiſtoriographi intentioni accommodandae.

Vide ſis interpretationem Lapidis Râbyenſis in Paroecia

Hâtuna

Hâtuna Stw. och S. K. Attartal p. 21. item Skarpsundensis in Paraecia Tibble p. 22. Nec forte ab hac labe prorsus immunis est Lapidis Alsnoeensis explicacatio lib. cit. p. 30

XXIX.

Multo minus variae circumstantiae breui & obscurae inscriptioni sunt affingendae, praecipue si easdem reticeant alia quaeuis probatiora documenta historica.

Euolue illa, quae *Nobiliss.* iam nominatus *Auctor* in Monumentum quoddam Runicum *citati operis p.* 27, nec non *in Notis ad I. C. Historiam Theod. p.* 525. commentatur, & perpende, quae inde inferantur, & vix non fatebere, nimis multa supponi.

XXX.

Monumenta, in quibus Runae sunt deprauatae & a solita figura antiqua recedentes, merito sunt suspectae fidei; multo magis si antiqua & genuina Lingua, nouae soloecismis & affectata antiquitate quoque deformata sit.

Huius commatis sunt exempla, quae inueniuntur in *Cl. Chr. Lyschandri* Danske Kongers Slächtebog, *p.* 35. & *H. N. Strelows* Guthilandske Chronike, *p.* 35.

XXXI.

Si aera quaedam celebris in monumento pro antiquo & profundae aetatis venditato exacte determinatur, certissime totam rem foedae imposturae suspectam reddit.

Vide sis *Vormii M. D. p.* 451. & *Strelows Gotl. Chron. p.* 36. Ac inprimis *Lyschandri*, impostoris audacissimi figmentum Runicum p. 23. sed nec omitte *Cl. Verelii* Censuram, *in Notis ad Hist. Gotr. & Rolf. p.* 7, quam suo calculo quoque comprobat *Cl. Torfaeus*, Historicus non



minus

minus veritatis amore, quam acri iudicio percelebris, conf. *eiusdem de Serie R. D. lib. I. Cap. VIII. p. 71.*

XXXII.

Lapidum ſepulcralium, in quibus nomina biblica, aut alia e Martyrologiis, Chriſtianis hominibus inprimis propria & vſitata, vtut corrupta occurrunt, aetas vix ſupra ſeculum poſt natum Chriſtum vndecimum aut decimum aſcendit, nec pauca vero XIII. demum Seculo poſita eſſe, veriſſimum eſt.

Vid. *Act. Litt. Vol. II. p. 313;* talium quoque exempla praeter Aſumenſe in Scania noſtra delineatum *p. 171. Vormii M. D.* videantur *in eodem oper. p. 455. 483. 518.*

XXXIII.

Inſcriptiones verbis Latinis conceptae, at elementis Runicis exaratae, monachorum aut impoſturis aut certe ineptiis merito ſunt adnumerandae.

Exempla habes apud *Ioh. Magnum Lib. V. cap. 6.* & *Cl. Vormium Mon. Dan. p. 176. 180. 442. 444.*

XXXIV.

In coeteris monumentis lapidariis ſollicite diſpiciendum; an genuina ſint & rei narratae coaeua: An vero longo poſt tempore demum ſuppoſita. Atque annon ignorantia, credulitas, amor, odium, adulatio, ambitio interdum concurrant, ſeſe prodant, fidemque illorum ſubleſtam faciant.

De Regis Ingonis Monumento Varnhemenſi ipſe obſeruat *Nobil. Peringſkiöld* nouum eſſe & aeram vitioſe annotatam vid. Sw. och G. K. Aettartal *p. 40.* ita & reliqua Regia Monumenta Varnhemenſia, quae *idem auctor ad p. 56. & 57. eiusdem operis*, nec non magnificum, quod *Suecia Antiqua & hodierna* inſcribitur, opus depicta

picta exhibet, patrum nostrorum memoria demum supposita sunt, quod etiam confirmat Reuerend. *E. Benzelius in commentariis suis in Historiam Patriae Mscr. lib. V. cap. 20.* Epitaphia vero Regum Canuti, Erici Ethici & Erici Balbi *a Messenio in Tumbis p. 30.* adnotata satis superque ignorantiam & barbariem Monachorum testantur, praeterea vero parum aut nihil. Vretensia quoque supposita & falsa esse, cum *Ioh. Magnum* sequantur, laudati *auctores in libris ante citatis* comprobant *Benzel. lib. IV. cap. 8. & Peringskiöld p. 55.* Hinc nulla etiam eorum contra probatiora documenta, neque in genealogicis neque in Chronologicis auctoritas. Porro nimis dubitandum mihi videtur, quin elegans monumentum, quod ab Amico Honoratissimo acceptum in Museo Academico reposui asseruandum, huc pertineat, quamuis versus, quibus constat, auctorem elegantioribus litteris non leuiter imbutum fuisse, satis indicent; atque prodigii eiusdem quoque *Georgius Segerus in Synopsi Musei Vormiani p. 28.* his verbis mentionem faciat: *Frumentum quod cum pluuia A. MDCL. in Scania decidit.* Quandoquidem autem hoc, quantum ego quidem scio, non publici iuris factum sit, non ingratum fore Lectori Candido, idem heic legisse, spero. Est igitur tale:

Epigramma de Friderico Danorum Rege opt:

*Hendecasyllabum*

Princeps Fridericus pius Danorum
Rex, clemens fuit & benignus heros
Et pacis cupidus, suaeque genti
Charus, perpetuoque cultus: Ipse
Primus relligionis adserebat
Cymbrorum in regione puritatem:



Ipſius pietatem opusque rerum
Bellorum in ſtrepitu fameque ſaeua
Confirmaſſe DEVS refertur alto
Coelo, prodigiis & imbre fuſo
Frumenti, velut Iſrahelis olim
Agmen Syderea pluente manna
Pauit: nunc fruitur beatus idem
Aeterna ſuperum ſalute & omne
Quod quondam meruit Iubar benignos
Inter Coelicolas, tenet, valetque.

## XXXV.

Inſcriptiones aenigmaticae & fatidicae in hiſtoria prorſus nullum praeſtant vſum, tantum poſitae, vt aut curioſa poſterorum ingenia torqueant, aut meticuloſos & rudes homines miſere terreant.

Huius cenſus eſt inſcriptio illa celebris: *Aelia Loelia Criſpis &c.* de qua *Aldrovandus Dendrologiae p. 146.* & aliae ſimiles; alterius generis eſt illa, quae in *collectione Buraeana ſub N. 41.* commemoratur ſic incipiens: *Hilþiur Speching ob Schalþr Kueþr &c.* quae mihi equidem confícta videtur, contra aliud eiusmodi vaticinium, quod vulgo pro *inſcriptione Lapidis Groendalenſis* in Iemptia venditatur, de quo agit *Ionas Bid. Renhorn* in diſſertatione *de Lapide in Valle virenti.*

## XXXVI.

Fruſtra quoque iis fidem habeas, quae fidem omnem ſuperant.

Exemplum eiusmodi monumenti ex *Appollonio Grammatico* adducit Dominus *Zanthier* libelli antea citati p. 17. tale: *Sepultus ego Macroſeiris in inſula longa, vitae peractis annis mille quinquies.*

Hiſce

Hiſce iam Coronidis loco ſubiungimus.

I. Literarum Scandicarum veterum ſeu Runarum conſpectum. Vid. Tab. VIII.

II. Monumentum Runicum, quod ad rudera Templi omnium Sanctorum ſeſe offert, a Patruo B. M. Domino *Andrea Stobaeo* in diſſertatione *de antiquis gentium Gothicarum inſignibus* Cap. IV. §. 3. & ſeq. fuſius deſcriptum. vid. Tab. IX.

III. Inſcriptionem Lapidis ad ianuam auſtralem Baſilicae Lundenſis litteris monaſticis exaratam de Praelio, quod inter Friderici I. & Chriſtiani II. exercitus, ducibus Iohanne Rantzovio & Ottone Stigsſonio heic in campis Lundenſibus Anno O. R. MDXXV. die 7. Aprilis commiſſum eſt, vbi MD. militibus caeſis & captis, ille victoria potitus, hic fugatus eſt, vti memoriae prodidit Illuſt. *Hvitfeldius Chron. Dan. Tom. II. p. m. 1728.* Votum vero praemiſſum alludit ſine dubio ad nomen artificis, quod vna cum Symbolo: *Dat anbegin dat heft en got behagen; dat ende mot den Laſt dragen*, in hunc modum aliis quoque in locis Aedium harum Sacrarum conſpicitur v. g. in Fonte cryptae adnotatum:

ADAM VAN DVRE.

Vid. Tab. X.


IV. Monendus hic Lector eſt, quod figurarum Tab. XI. nulla proſtet explicatio: quanquam intra chartas Autoris archetypi illarum fuerint inuenti. Forte illas in recentiorem editionem huius diſſertationis parauerat Autor, morte praereptus. Interim iis carere Lectorem curioſum, tanquam additamento quodam, nolui.


Tab. VIII. Conſpectus elementorum Runicorum vna cum nonnullis eorum varietatibus frequentioribus & vſitatioribns.

| *Figura.* | *Nomen.* | *Poteſtas.* | | *Prouerbia mnemonica.* |
|---|---|---|---|---|
| ᚠ ᚠ | Fie | F. | | *Fie er frenda rogur.* |
| ᚢ ᚢ | Ur | U. | | *Ur er verſta veder.* |
| ᚦ | Thus vel Thor | Th. | d. | *Thuſs er qvinno qval.* |
| ᚬ ᚭ | Os | O. | | *Os i huarie à.* |
| ᚱ ᛦ | Reid | R. | | *Reid er heſta Spreinger.* |
| ᚴ ᚴ | Kaun | K. | g. | *Kön i Köte verſt.* |
| ᚼ | Hagl | H. | | *Hagl Kaldaſt Korn.* |
| ᚿ ᚾ | Naud | N. | | *Nöd tunger Koſt.* |
| ᛁ | Is | I. | | *Is bro bredaſt.* |
| ᛅ ᛆ | Ar | A. | | *Ar gunna gamman.* |
| ᛋ ᛌ | Sun | S. | | *Sun er Landa liomi.* |
| ᛏ ᛐ | Tyr | T. | | *Tyr einhenþur As.* |
| ᛒ ᛒ | Biark | B. | | *Biark Lunda fegurd.* |
| ᛚ | Laugur | L. | | *Laugur Landa belte.* |
| ᛘ | Madur | M. | | *Madur muldar öke.* |

Tab. IX.

Tab. omnium Sanctorum
che iam Medicinae
ıdatiſſimo.



ulaf uk utar lanmitr

um ſuorum amborum

Tab. X

Tab. IX. Monumentum Runicum in Lapide ad rudera Templi omnium Sanctorum Lundenſis obvio; depictum a Domino Ioh. Leche iam Medicinae Doctore & Medico Prouinciali Scaraburgenſi Laudatiſſimo.



þurgisl ſun isgis biarnar ſunar riſti ſtino þiſi uftir bruþur ſino baþa ulaf uk utar lanmitr guþa.

Thurgislus filius Esges, filii Bioernonis erexit hunc lapidem in memoriam fratrum ſuorum amborum Olavi & Uttari, propugnatorum patriae bonorum.

Tab. X

Tam auſtralem



S barn


ENIASTORAGIN

ᶜti Marckus **dag vor**
**e vifftein hondert doet**
**viſſer vael klagen.**

Marci prope Lundam magna
at & interfeᶜti; quam multa

Tab. XI.

Tab. X. Monumentum Lapideum in ipſo muro ad ianum auſtralem Baſilicae Lundenſis.






**Do man ſchreff IMZM aer des fridages nag** Sancti Marckus **dag vor Lunden ein groit jamer geſchacht dar diect utter be vifftein hondert doet geſcotten vnde geſlagen; dat mogen de ſkonſke wiffer vael klagen.**

DEUS juva Adami filios!
Principium quidem dulce eſt; ſed finis arduum coronabit opus.


Aerae Chriſtiani anno MDXXV. die veneris poſt feſtum Sancti Marci prope Lundam magna clades contigit, cum mille & quingenti viri globis confoſſi ſunt & interfecti; quam multa lamentatione merito lugeant uxores Scanienſes.


Tab. XI.






Tab. XI.














## SECTIO II.

# DE RE NVMISMATICA



I.

Alter probationum Hiſtoricarum fons eſt RES NVMISMATICA, ſeu exacta cognitio monetarum Numorumque. Qui cum non minus memoriam rerum priſcarum, quam monumenta Lapidaria conſeruent, nec niſi his ſolis antiquitate & durabilitate cedant; iure ſuo ſecundum, in ordine fundamentorum Hiſtoricorum, locum ſibi vindicare videntur.

Auctores, qui rei numismaticae inſtitutiones tradiderunt, inprimis commendandi ſunt. Das geöfnete Münz-Cabinet im III. Tomo des geöfneten Ritter-Platzes. Item *Ioh. Gröningii I. V. D. Hiſtoria Numiſmatico-critica* oder neueröfnete Hiſtorie der Modern-Modellen ibidem. *Aug. Frid. Zanthier* kurze Einleitung zu den vier vornehmſten Quellen der Hiſtorie. *Andreae Morelli Specimen vniuerſae rei monetariae antiquae*; & *P. Chryſoſtomi Hanthaler exercitationes faciles de numis Veterum*; nec non *I. C. Olearii* Münz-Wiſſenſchaft. Notitiam vero plerorumque Scriptorum rei monetariae ſuppeditat *Fr. Ern. Bruckmanni Bibliotheca numismatica*, nec non *Phil. Labbe Bibliotheca numaria.*

II.

Per rem Numiſmaticam intelligimus quaslibet monetas, numos & numiſmata, ſed inprimis illa, quae

in

in memoriam illuſtris alicuius perſonae, aut rei praeclarae auctoritate publica ſunt cuſa & ſignata. Etenim negari non poteſt, in omni hiſtoria, ex adcuratiori numismatum notitia, ingens lumen & emolumentum oriri, ac permultas quoque alias diſciplinas luculenter ex eadem illuſtrari poſſe.

Praeter auctores iam I. §. indicatos, de vtilitate rei numiſmaticae in genere egerunt: *Ezechiel Spanhemius in Diſſ. de vſu & praeſtantia numismatum; P. Iouberti Notitia rei Numariae & P. Ludovicus Debiel in compendio de Vtilitate rei numariae.* In ſpecie rei Numismaticae vſum in Theologia & hiſtoria Eccleſiaſtica aſſerunt *V. E. Loeſcherus in Tr. de numorum Veterum in Theologia, & explicatione S. Scripturae, ac antiquitatum Eccleſiaſticarum vſu;* Idem *de rei numariae in ſacris antiquitatibus vſu;* nec non *eiusdem in hiſtoria Eccleſiaſtica vſu. Corn. Dit. Koch de re numaria Vet. & N. T.* eiusdemque *Diſſertatio de Anno Natali I. C. per numum & facta Antipae Herodumque caeterorum demonſtrato &c.* Rei numismaticae vſum in Chronologia, Geographia, Genealogia, Heraldica, Mythologia, Hiſtoria Naturali aliisque Diſciplinis praeter citatos auctores *Ioh. Gröningium & A. F. Zanthier*, probant *Harduini Chronologia ex numis reſtituta, Eiusdemque numi antiqui Populorum & Vrbium; Voyage de Levant par G. Wheler; Holſtenii commentarius in Stephani Byzantini fragmenta de vrbibus; Golzii numi Graeciae eiusque inſularum & Aſiae minoris. Vlyſſ. Aldrovandi Ornithologia; Speneri Sylloge Genealogico-Hiſtorica & eiusdem opus Heraldicum; Bebelii Theologia Gentilium e numis eruta; Ludovici de Hemmer Tenediorum Reſpublica,* & γλαικογραφία; *N. E. Zobelius de Cacozelia Gentium* & alii quam plurimi, quorum nomina, breuitatis cauſa, ſilentio praeterire liceat.

III.

## III.

Partes numismatis notandae sunt: *Facies recta & auersa, Inscriptio* seu *Epigraphe, Lemma* seu *Legenda, Exergum* seu *Basis*, atque *extrema Ora* seu *Margo.*

Facies *recta* (Gallis La Tête, L'avers dicta) exhibet plerumque effigiem Principis, Herois aut alius praeclari Viri cuiusdam vel Heroinae; interdum tantum siglam Regiam aut aliam; de siglis vero inprimis consulendus *Ioh. Nicolai de siglis veterum;* nonnunquam etiam Diui aut Martyris alicuius v. gr. B. V. M. vel S. Ladislai imaginem in Hungaricis, S. Erici in Svethicis, S. Canuti in Danicis quibusdam ante Religionis reformationem; denique *recta* in quibusdam numis Regni aut Ciuitatis alicuius insignibus, imo etiam aliis rebus, vti plenius vsus docebit, nonnunquam exornatur. Effigies vero illa, quae repraesentatur, Principis alicuius, cui numisma dicatum est, vel *sinistra* est vel *dextra;* haec vitam, actionem auctoritatemque significat; illa defectum quendam in Republica, ob Principis absentiam, mortem aut minorennitatem; obseruandum tamen est, hanc regulam saepius negligi, quam obseruari. Deinde quoque ornamenta capitum, quibus eiusmodi effigies redimitae exhibentur notanda: Coronae nimirum variae e. gr. *Radiata, Turrita,* quae etiam *muralis* dicitur, *Rostrata* (a qua quidam distinguunt *Navalem*) *Civica, Triumphalis, Obsidionalis, Castrensis* &c. Nec non diademata alia varia, ad quae etiam referimus *Cornua arietina, Pelles Leoninas, Caprinas, Elephantinas, Nimbos, Cassides, Petasos* & quaecunque alia, de quibus omnibus consulendi, praeter iam supra indicatos de re numaria Scriptores, *Dempsterus de Antiquitatibus Romanis Lib. X. Cap. XX. VI. & seqq. Nieuport de Ritibus antiq. Rom. p. m. 492.* Nec non *Ioh. Nicolai de Nimbis antiquorum* &c.

*Auersae* faciei typus figuris diuersissimis & perbreui hoc compendio haud describendis exornari solet. Pauca haec tantum exempli causa adnotare iuuat; ne nihil prorsus in hac re dixisse videamur. Palma itaque cum figura muliebri *Iudaeam*; Cuniculus *Hispaniam*; Camelus *Arabiam*; figura muliebris dextra lanceam, Sinistra Asini caput hasta sublatum tenens *Daciam*; Equus etiam *Mauritaniam*, Caput vero Equi *Carthaginem*; Noctua *Athenas*; Serpens nimbo ornatus, Crocodilus, Sistrum, Hippopotamus, Ibis, Canopus, Anubis; vel Nilus, *Ægyptum*; Figura ex tribus cruribus totidemque spicis triticeis circa faciem hominis in medio constitutam, Trisceles dicta *Siciliam*; Figura Muliebris pelle elephantina cum dentibus & proboscide circumdata *Africam*; Virgo tauro insidens *Europam*; Figurae duae muliebres dextras porrigentes & inuicem implicantes *Concordiam* & *foedus* inter *duas Ciuitates*; Mulier stolata dextra herbam crescentem tenens, sinistra vel spicas quasdam demittens, vel vestem paululum subleuans ac suspensis gradibus incedens *Spem*; Mulier sinistra cornu copiae, dextra baculum seu sceptrum, quo orbem siue globum dirigit *Prouidentiam*; Mulier dextra gubernaculum, sinistra cornu copiae gerens *Fortunam*; Figura Virilis decumbens cum amphora *Fluuium*; sin vero appositam habeat rotam, *viam* publicam denotat. Verum breuitatis causa innumera fere eiusmodi cum in antiquis tum in recentioribus occurrentia hieroglyphica silentio praeterire cogor. Nec alias res historicas, puta proelia, vrbium expugnationes, trophaea, aedificia, spectacula, sacra, insignia gentilitia, emblemata &c. commemorare iam vacat. Vocibus *inscriptionis* & *Legendae* quidam promiscue vtuntur; quidam easdem dictiones distinguunt ita, vt INSCRIPTIONEM vocent titulos Principis; LEMMA seu LEGENDAM ingeniosam paucisque

que verbis conceptam auerſae explicationem. *Baſis* ſeu *Exergum* eſt paruum in infima numi parte ſpatium, chorda a reliquo diſtinctum, ſupplendae Legendae vt plurimum inſeruiens. Tandem *extrema* numi *ora* ideo ſolum heic obſeruanda, quod illa quoque interdum arguta quadam ſententia exornetur.

## IV.

Ratione materiae conſiderandos ſeſe nobis offerunt numi *Aurei*, *Argentei*, *Electrei*, *Ærei*, *Plumbei*, *Stannei*, *Ferrei*, *Pelliculati*, *Vitrei*, *Scortei*, *Papyracei* &c.

De aureis, argenteis aereisque numis nihil addere lubet, cum ſuperuacaneum certe foret illorum exiſtentiam probare velle; ſaltem annotaſſe ſufficiat, apud Romanos *aeream* monetam aut ab ipſo Iano, ſecundum *Macrobium Saturn. Lib. I. Cap. VII.* aut a Seruio Tullio, ſexto Romanorum Rege, primam ſignatam fuiſſe, vti auctor eſt *Plinius H. N. lib. 33. cap. 3.* vbi etiam perhibet, quinque annis ante primum bellum Punicum *Argenteam*, *Auream* demum annis LXII. poſt, primum percuſſam. *Electreos* numos tandem introduxit Imperator Alexander Seuerus, vti teſtatur Ælius Lampridius; nam ante haec tempora omnes aurei ex obryzo conſtabant. An noſtrates antiquiſſimis temporibus propria moneta *aurea* vſi ſint, incertum; magnam auri vim piraticis depraedationibus artibusque bellicis congeſſiſſe & Gryphium inſtar cumulaſſe, ſatis certum. Orbes v. aureos Scanicos, quos apud Veios Scanorum inuentos deſcripſit *Ioh. Schefferus Tract. de tribus O. A.* nec non quos depictos ſiſtit *M. R. D. Jacobaei*, aut ornamenta olim fuiſſe, aut amuleta, quam numos vſuales, veriſimilius videtur. Quin etiam medio aeuo aureos numos domi percuſſos, aut rariſſimos aut fere nullos; ac exoticos tantum in vſu fuiſſe aliquo. Ne-

que *aere signato* iſtis temporibus ciues noſtri in commerciis ſuis vtebantur, ſed maxime numulis *argenteis* quos denarios dicebant. Licet enim negari non poſſit, nonnunquam reperiri quosdam viliſſimi metalli ac fere aereos, itemque alios *ſubaeratos*; certiſſimum tamen eſt, pro melioribus & argenteis illos ſubſtitutos venditatosque fuiſſe: hinc orta etiam diſtinctio inter numos veteres ac nouos, quod hi illis longe viliores eſſent. *Plumbeae* monetae mentionem facit *Plautus*: *cui, ſi capitis res ſiet, nummum nunquam credam plumbeum*, in Trin. Numismata etiam ex hoc metallo nonnulla producunt curioſi vid. geöfnetes Münz-*Cabinet pag.* 35. De moneta plumbea Celibibus hodienum uſuali agit *Ioh. Sig. Wurfbain* Oſt-Indianiſche Kriegs- und Ober-Kaufmanns-Dienſte p. 17. a Dionyſio Tyranno Syracuſano *ſtanneos* numos cuſos fuiſſe ex Ariſtotele prodit libellus, cui titulus: Das geöfnete Münz-Cabinet l. c. vbi etiam teſtatur, tales adhuc in Anglia non infrequentes eſſe. De orbe ſtanneo vel potius numo Antinoi adulterino legi poteſt *Iani Rutgerſii Epiſtola*. *Ferreos* numos habuiſſe veteres Britannos, Clazomenios, Lacedaemonios ac Byzantinos, veterum teſtimoniis comprobat G. M. Cabinet l. c. Ruſſos vero *ferrea moneta ſtanno nitente* impoſuiſſe colonis noſtratibus narrat *Olaus Magnus Hiſt. de Gent. Septentr. lib. VI. c. 12*. *Pelliculatos* numos vocamus illos ferreos aereoſue, qui tenui lamella ſeu pellicula nobilioris metalli ſunt obducti, alias *forrati* (Gallis medailles fourrées) barbare dicti, quaſi duplicati; nam forratam veſtem dixerunt medio aeuo duplicatam, ſub panni cuiusdam velamine interius ſubductas pelles tegentem. vid. *Teſtamentum Abſolonis Archiep. Lund. notis Cl. Sperlingii illuſtrat. p. 114*. Hos, ratione habita metalli vilioris ſub cortice latentis, quidam *Subferratos* aut *Subaeratos* alii quoque *Incruſtatos* dicunt; Verum vltimo nomine forte rectius diſtin-

distinguuntur quaedam numismata Regum Principumque opere encaustico artificiose parata. *Vitreos* numos in Sicilia repertos esse, ex *Wormio* probat *Zanthier libri citati pag.* 79. *Scorteis* nostrates olim vsos fuisse numis, quorum valor argenteis punctis indicaretur, narrat Olaus Magnus Hist. Sept. l. 6. c. 12. penes quem fides sit; nos tales nondum vidimus. Memorabilem historiam de eiusmodi moneta coriacea refert *Ioh. Hübnerus* historische Fragen 3. Theil *p.* 586. speciatim de his tractat *Casparus Loescherus disp. de Numo Scorteo.* Ex *libro* mori arboris monetam apud Tartaros confici, memoriae prodit *M. Paulus Venetus Lib. II. cap.* 21. *Papyraceas* pecuniae tesseras in casu necessitatis exstitisse eo minus negandum, quod ipsi tales nostris manibus non ita pridem terere potuerimus; miramur vero, non aliorum Regnorum Ciuitatumque, sed tantum Svethiae chartaceam simul cum aenea necessitatis pecuniam, maligno dente arrodere Medicum Vratislauiensem *I. C. Kundmannum de Num. singul. p.* 39. & *seqq.*

## V.

Figuras numorum respicientes, eosdem in *Rotundos*, *Oblongos*, *Truncatos*, *Serratos*, *Conturniatos*, *Bracteatos* siue *Cavos*, dispescere solent.

*Rotundam* numorum figuram vt omnium vulgatissimam, & omnibus notam, silentio praeterire liceat; *Oblongi* minuti olim in Dania & adhuc in Russia vsuales sunt numi; Numismata quoque oblonga apud Scriptores & in Scriniis curiosorum non admodum rara deprehenduntur. *Truncati* vocantur numi quicunque angulosam habent figuram, siue neglectam, siue exactam & regularem. Sic exempli gratia non modo numos triangulares, quadratos, hexaganos, verum etiam irregularis cuiuscunque figurae, vti sunt Hispanici, vul-

go Stück von Achten dicti, truncatos vocamus vide fis *E. Brenneri Thes. Num. Sveogothicorum & Iacobaei M. R. D. passim*, nec non *Kundmannum de Numis singularibus Tab. IV. fig. 50. Tab. V. fig. 29.* *Ansati* salutantur illi, qui ansula praediti sunt, ope cuius a collo suspendi solebant; Tales erant praeter amuleta magica, de quibus legi potest G. M. C. p. 86, numi quidam aurei Regum Principumque effigies, symbola aut ordinum equestrium insignia exhibentes, quibus ipsi Reges ac Principes amicos de se aut ciuitate bene meritos donauerunt; exempla habet *Iacobaei M.* R. *D. &c.* *Serrati* dicuntur numi in margine extrema serrae instart dentati, de quibus consulendi *G. Wedelius in Exercit. IX. Dec. VI. de numis serratis.* item *Ioh. G Liebknecht de Numis serratis Diss.* His admodum cognati videntur hodie non infrequentes margine externo catenulato, articulato aut litterato: cuius vltimi elegans exemplum nobis suppeditat numus argenteus, nostratum vsualium maximus, qui simul caussam quandam huius artis manifestat; eiusdem enim extrema ora hac gnome insignitur: *manibus ne laedar avaris.* *Conturniati*, qui & *Cothurniati*, *Coturnati* & *Contorniati* nonnunquam dici solent, margine seu limbo elatiore simul & elegantiore distinguuntur; egit autem de iis inprimis *Sigebertus Hauercampius diss. de Alexandri numismate & de numis conturniatis.* De *Cauis & Bracteatis* denique sciendum, quod illa tantum tenui lamella siue bractea ab vnica parte signata & instar patellae concaua ac margine vt plurimum radiato constent, vnde etiam *Scutellae* & *Irides* dicti sunt. Horum vberiorem notitiam subministrant *Ott. Sperlingii Disputatio de Bracteatorum origine & progressu*; *I. C. Olearii Isagoge ad numophylacium Bracteatorum*, Eiusd. *Spicilegium antiquitatis numos XXV. bracteatos suggerens*, item *alterum IX. bracteatos exhibens*, item *tertium bra-*

*cteatos*

*cteatos Halberstadienses tradens*; ac alia quoque eiusd. auct. Scripta. *Ioh. Pet. Ludwigs* Einleitung zu dem teutschen Müntzwesen mitler Zeit *&c. Ioh. A. Schmidii Tr. de Bracteatis Num. Cizens. & Pegav. & Ioh. Georg. Liebknecht de Bracteatis Hassiacis atque E. Brenneri Thesaurus numorum Sveogothicorum.*

## VI.

Habita magnitudinis ratione, distinguimus in numos *Primae*, *Secundae* & *Tertii* magnitudinis, siue *Maximi*, *Medii* & *Minimi* moduli; quae tamen distinctio praecipue concernit antiquas Graecorum Romanorumque monetas.

Hodie tanta in hac re licentia vtuntur diuersi populi, vt certos magnitudinis modos in cudendis Numismatibus obseruatos determinare minime liceat. Schemata quidem magnitudinis Numismatum *Ioh. Gröningii Historia Numismatico-Critica p. 55.* & *Museum Regium Danicum P. II. Sect. V.* exhibent; sed exempla vidimus & *maximo maiora* & *minora minimo*, vt satis constet, certis ac communibus legibus nondum sese hodiernos subiecisse artifices numismaticos. Veteres septentrionales maiores numos vix habuerunt, sed tantum *minutos denariorum* aut *Sterlingorum* vel etiam *Penningorum*, sit venia verbo, nomine notos; quae nomina, sine dubio, ab Anglis mutuo sumpserunt Maiores, cum & ipsam artem numos cudendi ab iisdem accepisse admodum verisimile videatur; Veritati etiam minus repugnat, Sterlingos ab Esterlingis (sic enim dictos fuisse Anglosaxones testantur auctores fide dignissimi) potius quam a sturnis auibus, quarum icones in quibusdam denariis Anglicis inueniri autumant, nomen accepisse. *Maiores* tandem ineunte Seculo XVI. numi, quos latinitate barbara *grossos*, Germania vero

Dicke

Dicke Pfennige dixerunt, cum apud nostrates, tum apud Vicinos Danos cudi coeperunt. Conf. *Brenneri Thes. N. S. G. p. 43. tab. IX. No. I. & Ol. Iacobaei M. R. D.*

## VII.

Numos, vti ipsas historias, ad aeuum antiquum, medium & nouum referre conuenit; vnde etiam numorum distinctio non infrequens in *Antiquos*, *Barbaros* seu *Gothicos* & *Modernos* seu *Hodiernos* enata videtur.

*Antiquum* aeuum a primo tempore, quo monetae cudi coeperunt, initium capit & extenditur ad eiusdem artis & rei numariae decrementum & in deterius prolapsum; *Medium* hinc ordimur, finimus vero in ipsa litterarum artiumque restauratione, adeoque etiam rei monetariae melioris restitutione, quae cum principio seculi XVI. & *noui Aeui*, quod ad nostra vsque tempora se porrigit, auspiciis, contingere coepit, vt sensim non tantum pristinum splendorem antiqui aeui recuperauerit, sed ad summum quoque perfectionis fastigium iam magis magisque adscenderit ars Numismatica, vt iam dudum difficile sit dictu, an hodiernae artis gloria, antiqua illa vllo modo sit inferior, nisi antiquitatis stupida admiratio rationem captiuam abducat, aut praeiudiciorum lolio inebriet, visumque obnubilet. Praeterea etiam heic obseruandum, quod, cum Itali omne quod ipsis rude, neglectum, incultum, inconditumque visum fuit, barbarum ac Gothicum dicere consueuissent, inde quoque numi medii aevi cuiuscunque gentis rudiori arte parati generali nomine *Gothici* appellari coeperint eundemque titulum etiam nunc apud Antiquarios retineant.

VIII.

VIII.

Quod si aetatem simul & numi ipsius & personae in eodem repraesentatae perpendamus & comparemus, necesse habemus eosdem considerare; prout nimirum sunt vel *Coaevi* vel postliminio *Restituti*.

*Coaeuos* seu coaetaneos numos dicimus illos, qui illo Principe, cuius effigiem & nomen praeferunt, viuo & superstite, vel saltem mox post eiusdem obitum percussi sunt; *Restitutos* vero siue redonatos salutare liceat, quos demum longo post tempore, posteritas ad Deorum, Heroum, Philosophorum, Poetarum, Oratorum aliorumque virorum, nec non illustrium foeminarum memoriam renouandam cudere fecit. Inter Romanos permulta eiusmodi restitutorum exempla occurrunt, neque nobis propria desunt. Inprimis vero huc referre licebit elegans & commemoratione dignum numisma tale, maius, argenteum duarum vnciarum pondere ab Artifice Clarissimo *A. Karlsten* affabre elaboratum, cuius altera facies Regis barbati effigiem paludatam exhibet cum inscriptione: IOHANNES III. D. G. REX SVECIAE. Altero vero coronam Regiam addito Lemmate: INIVSTI CARCERIS IVSTVM PRAEMIVM. Huius census etiam sunt numi aerei minores satis magno numero cusi, & quantum quidem mihi adhuc innotuit, nondum ab aliquo descripti, quorum nonnullos, qui mihi artificis ingenium prae ceteris praedicare videntur, exempli caussa heic subnectere non ingratum fore B. L. confido.

I. Effigies Regis cum inscriptione: GVSTAVVS D. G. REX SVE.
Sagittae duae decussatim positae, quarum tres angulos inferiores occupant tres coronae minores; quartum corona maior regia cum Lemmate; ARMIS HIS PATEFACTA VIA.

II. *Recta* eadem.

*Auersa* repraesentat figuram muliebrem, corona murali ornatam, dextra globum cum Phoenice, sinistra cornucopiae tenentem & cippo quadrato tribus coronis insignito insidentem, adscripto Lemmate: FELIX TEMPORVM REPARATIO.

III. Effigies Regis cum inscriptione: ERICVS XIV. D. G. REX SVE. Auersa repraesentat Neptunum Conchae marinae insistentem, dextra tridentem, sinistra habenas, quibus equos suos dirigit, tenentem cum hac Legenda: PONTVM IVBET ESSE QVIETVM.

IV. *Recta* cadem, quae proxime praecedentis.

*Auersa* mensam rotundam, in qua positus cernitur gladius diffractus, exhibet cum tali gnome: RIGORE SVO DISSILVIT NIMIO.

V. Effigies Regis cum inscriptione: IOHANNES III. D. G. REX SVE.

*Auersa* aram, cui imposita est corona, radiis coelitus delabentibus illuminata, his adscriptis verbis refert: PROVIDENTE DEO IMPROVISA OBTIGIT.

VI. Effigies regis adscripto nomine & titulo: SIGISMVND D. G. REX SVE.

*Auersa* clypeum insignibus Regni Poloniae & magni Ducatus Lithuaniae ornatum habet, addita Legenda: HOC TECTVS NVDATVR AVITO.

VII. Effigies laureati, cui adscriptum est: CAROLVS IX. D. G. REX SVE.

*Auersa* sistit aram, in qua apertus iacet liber, e nubibus defendit strictus ensis cum epigraphe: LEGES DEFENDERE NOSTRVM.

VIII. *Recta* eadem.

*Auersam* figura muliebris stolata stans, columnae innixa, dextra librum apertum porrigens, & circa caput nimbo ornata, conspicuam reddit, addita hac explicatione: AVGVSTANA CONFESSIONE PLANE FVNDATA.

IX. Effigies Regis, cui adſcriptum eſt: GVST. ADOLPH. D. G. REX SVECIÆ.
In *Auerſa* Litterae G. & C. implicatae cum intermedio Mercurii caduceo; addita epigraphe: INTER SE AMPLEXANTVR. in baſi: POSITIS IRIS A. 1613.
X. *Recta* ſimilis praecedenti.
In altera repraeſentatur columna, coronam Regiam ſuſtinens, cuius pars ſuperior fulmine percuſſa ruit, & circa illam tale Lemma legitur: CADENS OBSTANTI DAT CASVM. In baſi vero: AD LVTZENAM DIE 6. NOV. 1632.
XI. Effigies Viraginis pectore tenus, addita inſcriptione: CHRISTINA REGINA.
*Auerſa* duo cornuacopiae implicata, Mercurii Caduceum amplectentia & ſimul geminatam litteram C. utriusque Nominis Regii initialem referentia cum Lemmate exhibet: INTER CHRISTINAM & CHRISTIANVM; & in baſi: BROMSEBROAE A. 1645.
XII. *Recta* eadem.
*Auerſae* typus: Pallas galeata ſedens, dextra Victoriolam, ſiniſtra haſtam tenens, pone quam conſpicitur Labarum, tribus coronis inſigne, cum epigraphe: MATRI CASTRORVM.
XIII. *Recta* ſimilis proxime praecedentibus.
*Auerſa* bicipitem Parnaſſum cum Pegaſo, ex altero eius faſtigio proſiliente, exhibet, cum Lemmate: SEDES HAEC SOLIO POTIOR.
XIV. Effigies Regis cum inſcriptione: CAROL. GVST. D. G. REX SVEC.
Altera enſem humi iacentem repraeſentat, adſcripta epigraphe: QVIESCO, DOQVE QVIETEM. infra 1660.
XV. Effigies Reginae Viduae addito nomine & titulo: HEDEW. ELEON. D. G. REG. SVEC.
*Auerſae* typum efformat triplex Littera C. inſcriptis numeris X. XI. XII. ita implicata & innexa, ut trifolium inde compareat. Epigraphe talis: HOC FELIX TRIFOLIO.



Sunt etiam reliqui admodum elegantes; sed cum plures sint, quam vt angustum hoc illos capere queat spatium, quorundam eorum quoque similes descripsit in *Thes. suo Nob. Brenner*; illorum descriptionem alii occasioni reseruam. Sufficerent itaque hi pauci iam recensiti exempli, immo condimenti gratia; nisi nefas duxissem silentio inuoluere elegantissimum numisma, quod in memoriam fundatae huius Musarum sedis Heros Excellentissimus, illustrissimus Comes, Dn. CAROLVS GYLLENBORG Regni Senator, & magnae Cancellariae Praeses, tunc temporis nostrae, nunc Vpsaliensis Vniuersitatis Patronus & Cancellarius magnificentissimus ab artifice Nobilissimo Dno C. G. v. Hedlinger confici procurauit.

Huius *Recta* Caroli XI. effigiem exhibet cum inscriptione: CAROLVS XI. D. G. REX SVECIAE.

*Auersa* repraesentat Mineruam armatam stantem, qualis scilicet e Iouis cerebro prosiliit, cum Lemmate: TANTO PERDIGNA PARENTE. & infra in basi: ACAD. LVND. 1668.

## IX.

Numi ratione artificii & modi conficiendi distinguuntur in *Fusos* & *Cusos*.

*Fusos* a *Cusis* discernere licet eo, quod hi illis sint adcuratiores & artificii exactioris; nam in *fusis* vix non semper conspicuae sunt quaedam foueae vel striae a modulo seu forma ex argilla, arena subtiliori (Form-Sand) vel gypso parata residua. Praeterea etiam huius census numi non raro se produnt litteris imperfectioribus & pene deformibus, nec non imaginum, quae in iisdem repraesentantur deprauatis lineamentis. Sunt equidem plerique eorum fusione ad prototypos cusos efficti; sed tamen non negandum, dari quosdam huius generis prototypos & qui nunquam percussi occurrunt.

X.

## X.

Ex vsu numorum diverso, illos distinguere liceat in *Vsuales* (Gångbart mynt) quibus adiungimus Numos *necessitatis* (Mynteteckn, Flygande mynt) *Memoriales* (Skådepåningar, Medailles) *Calculatorios* (Räknepänningar, Iettons) *Lusorios*, *Cauillatorios*, *Ominosos*, *Magicos* (Talisman), &c.

*Vsuales* dicimus vulgares illos quotidiano vsui & necessariis in vita communi commerciis exercendis inseruientes; quo etiam referimus illos, qui ideo *necessitatis numi* vocantur, quod publica indigentia vrgente & casu necessitatis, publica auctoritate, in locum monetae ordinariae melioris substituantur, & nulla fere habita ratione pretii materiae, praescripto valore, pro vera & genuina pecunia valere & accipi iubeantur; tales fuere, quae nondum e nostra exciderunt Memoria, *Tesserae aereae seculi ferrei*, de quibus & aliis agit *Kundmannus in tract. de Num. Singul. pag. 39. & seqq.* de nostratibus autem adcuratius *Ericus Thunius de moneta aerea in Suethia rotunda* §. XIII. qui etiam X. alias tesseras numarias in obsidione Hannouiensi A. MDCXXXIV. cusas describit §. XVII. Hisce nunc alios duos nondum, quod scio, descriptos, quos meum scriniolum seruat, apponere liceat. Alter argenteus, parum supra dimidiam drachmam pendens, in *recta* fulmen trisulcum infra crucem, cum hac inscriptione: STRALSVND ostentat; in *auersa* autem facie haec tantum habet: XVI. SCHILLING 1715. Alter aereus est, truncatus, quadratus, ab altera parte tantum signatus & vnciae pondus non aequans, exhibet siglam Coronatam Regiam Christiani V. R. D. vti adscriptum est: 8. S. D. quod procul dubio valorem 8 Skilling Danst designat. Hunc in Christianostadiensi 1678, illum in obsidione Stralsundensi

 nouissi-

nouissima cusum esse ferunr. Per *Memoriales* illos numos intelligimus, qui exactiori ingenio & arte in honorem & memoriam Principis alicuius aut Magnatis percussi & signati sunt atque vt plurimum in *auersa*, aut simplici, aut ingeniosa & hieroglyphica pictura, cum addito Lemmate; interdum vero pleniore inscriptione rem insignem & praeclaram in memoriam reuocant. Et hi quidem κατ' ἐξοχὴν Numismata iam dici solent. Olim etiam dicta fuisse *Metalla* & *Medalla* & *Medallia* & inde Gallicum *Medailles* deductum esse, dubitare vetant numi quidam Ludouici Pii & Caroli Calui intra circulum ostentantes hunc titulum: *Metallum.* Vid. Caroli du Fresne Glossarium Tit. *Medalla.* In tyronum gratiam duo elegantiora exempla adducam, alterum exoticum, alterum domesticum: Huius *recta* effigiem cataphracti & paludati facie dextra, capite nudo, passa coma cum adscriptis titulis: C. AEM. LEVENHAVPT COM. SVPR. VIG. ET CHIL. LEG. EQ. Sub ipsa effigie, minoribus litteris: HEDLINGER. *Auersam* haec inscriptio occupat: *Mareschallo Comitiorum Anni MDCCXXXIV. ob fidem & patr. amorem bonis omnibus probato honorem numismatis ordo equestris R. S. decreuit.* Infra iacent inter palmae ramos auita Gentis LEVENHAVPTIANAE insignia, tria nimirum Capita Leonina in scuto coeruleo. Huic illustrissimo Heroi, iterum iam Praesidi Comitiorum Salutis Patriae amantissimo, cupidissimo, ex intimis cordis visceribus Adoreas Laureas & Monumenta perennia voueo. Illud insigne reddit simulacrum Herois cataphracti & paludati, facie sinistra, capillitio insigni promisso cum inscriptione: *Aloysius Ferdinandus Com. Marsilius.* Altera facies vrbem Bononiam, quam sol suis vndique sparsis radiis illuminat fouetque, adscripto Lemmate: NIHIL SIBI. infra in basi: BONON. SCIENT. ACAD. SOCIO ET MOECENATI OPT. AN. MDCCXXXI. Huic imitatores e magnatibus nostris generosissimos, in Almam Matrem Carolinam Moecenates beneficentissimos opto voueoque!

Interdum

Interdum vſuales memorialium vices ſuſtinent; ſic Germania non adeo rara & infrequentia numorum vſualium memorialibus ob ſignaturam accenſendorum exempla tum ex maioribus ac vncialibus, cum ex minoribus ſubminiſtrat. vid. Neueröffnete Groſchen-Cabinet in 8vo Sammlung von Reichsthalern in 4to. Ex noſtratibus duo exempla ſatis recentia ſuccurrunt; numus nimirum vncialis argenteus, vulgo Thalerus Imperialis, cuius *rectam* effigies exornat Regia cum titulo: FRIDERICVS D. G. REX SVECIAE. Subtus: AN. JVBIL. 1721. *Auerſa* exhibet binas effigies Regias circellis ſuis incluſas & circumdatis Lauri palmaeque foliis decoratas; quarum altera hac notatur epigraphe: GVSTAVVS I. D. G. REX SVECIAE; altera vero tali: GVST. ADOLPH. D. G. REX SVEC. in Baſi: IN MEMOR. VINDICATAE LIBERT. AC RELIG. Deinde aureus, vulgo *ducatus*, cuius *recta* iterum effigiem Regis cum ſolita inſcriptione exhibet; *auerſam* conſpicuam reddunt inſignia Regni Sueciae corona regia, Laurique ramis ornata & iuxta eadem aera 1738. pone quae ad dextrum oriens conſpicitur ſol. Locum Lemmatis occupat ſymbolum: IN DEO SPES MEA. Satis vero euidens eſt, hunc numum indigitare aurum illud ex vltima oriente auſpiciis Regis Regnique Suethiae, inſtitutis feliciter commerciis, allatum eſſe. *Calculatorii* ſiue teſſerae (Gallis Iettons) ſic dicuntur, quod calculationibus arithmeticisque operationibus, olim quam nunc vſu frequentioribus inſeruirent; nunc etiam chartis aut alea ludentibus pecuniae ordinariae vices ſuppleant. Alias cum perſaepe Auguſtorum aliorumque praeclarorum virorum effigies, res geſtas, breues biographias, Symbola &c. nec non ingenioſa emblemata, Hieroglyphica, aedificia publica, aliasque fere innumeras res memorabiles, exhibeant, vtique e cenſu numorum memorialium non ſunt expungendi; quamuis enim moduli ſint minoris aut mediocris, vilioris etiam ſaepiſſime metalli, ac operis denique depreſſioris minusque elati; tamen non raro tam ob

artifi-

artificium egregium, quam rerum, quas exhibent memorabilium typos non tantum perpulcre ornant, sed etiam admodum collectiones numorum in subsidium historici studii factas iuuant & supplent. De his agit pluribus Das geöffnete Münz-Cabinet p. 83. Exempla huc pertinentia ex nostris iam supra aliquot retulimus §. VIII. His quoque accensendae sunt *Tesserae metallicae Salbergenses* & *Falunenses* (vulgo Polleter) quos delineatos exhibent P. Wollenii *Argentifodinae & vrbis Salanae descriptio*, atque E. Thunii dissertatio *de moneta aerea rotunda*. Ad horum classem vix non referendi sunt, quos *lusorios* ideo diximus, quod eiusmodi numis ingeniose inuentis & ad antiquitatis indolem mire confictis alios ludant artifices, atque inprimis antiquitatis studiosis crucem figant. Talis erat ille Trauani, cuius *rectam* exornabat effigies Christinae Reginae; *auersam* Phoenix in nido ardente aduersus solem, supra quem legitur vox. ΜΑΚΕΛΩΣ; infra in basi 1665. Huius commatis quoque, qui nuper prodiit, cuius *recta* caput viri nudum sine inscriptione aliqua exhibet, quod quidam effigiem Nobilissimi caelatoris esse dicunt; *auersa* Noctuam, omnia Palladis insignia ostentantem repraesentat, addito Lemmate: ΛΑΓΟΜ. qua voce vernacula elementis Graecanicis scripta, legitime, modice, mediocriter significante autorem voluisse docere, sapientiam consistere in probitate seu Legum obseruantia, in temperantia & in Virtutis omnis, quae vti veteres docuere, in medio consistit, exercitatione. *Cauillatorii* non absque re dicendi, qui mordacibus cauillis principes aut respublicas inimicas proscindunt; hosce in censum memorialium vt plurimum venire, negari non potest; num vero ad documenta genuina historica pertineant maxime dubitandum. Talem esse, quem Tab. VIII. N. 10. exhibet M. R. D. O. I. Nec ab hac classe expunctum velim alterum in Germania forte cusum hoc Lemmate satis notum: SIC MONSTRA PELLERE REGNO. Ad *calculatorios* forte melius referatur ille, cuius *recta* Pontificis Romani effigiem

effigiem refert, quae tamen inuersa horrendam diaboli Laruam exhibet cum epigraphe: *Ecclesia peruersa tenet faciem Diaboli; Auersa* repraesentat Caput Cardinalis, quod idem inuersum est morionis, addito Lemmate: *Stulti mali quando de sapientibus*. vid. Numophyl: Ludou. P. II. p. 507. *Ominosi* seu fatidici vocantur, qui errore aliquo in signatura commisso rei alicuius infelicem exitum portendere nonnullis curiosis visi sunt. De talibus egit *Kundmannus* in Tractatu de *Numis singularibus;* nec non *Seyler* von wahrsagenden Münzen.

*Magici* numi sunt, qui vel ab impostoribus vel superstitiosis hominibus parantur, variisque figuris magicis astrologicisque ac litteris variis vocibusque barbaris, quid Hebraici nunquam non sonantibus, signantur, ad fallendos superstitiosos harum rerum cultores. Dicuntur alias; Abraxae, Talisman &c. Exempla vide in Numophylac. Ludov. P. II. 484. F. W. Iacobs Sammlung merkwürdiger Thalern und Medaillen p. 347. & Geöfnetes Münz-Cabinet p. 89. in specie de his egit D. V. E. Loescherus in disquisitione de Talismanibus.

## XI.

Populorum Regnorumque diuersitas & multitudo, multa & varia quoque numorum genera produxerunt; curiosis itaque sese contemplandos offerre solent numi *Hebraei, Punici, Arabici, Persici, Indici, Sinici, Graeci, Romani, Gothici, Hispanici, Gallici, Britannici, Belgici, Germanici, Danici, Svethici, Runici,* &c.

Numi *Runici* suppofititii, (Tab. XII. Fig. 1. & 2.) quorum mentionem facit Antiquarius celeberrimus Nic. Keder in fcripto, cui titulus: *Runae in Numis vetustis diu quaesitae tandemque feliciter inuentae.* Et quos tanquam historica documenta in partes suas citarunt Lagerlöf Diss. *de veris & antiquis Gentis Gothicae sedibus*; Et Hermansson Diss. de *praecipuis veterum Sueogothorum virtutibus*, *Vpsaliae*.

# Tab. XII.

Fig. 1.



Fig. 2.




VI.

Tab. XIII.


1.




2.




3.



4.



5.



6.




7.



8.




9.




10.




11.




12.



13.



14.



15.



16.



# VI.
# DE NVMIS ET SIGILLIS LVNDENSIBVS DISSERTATIO: SCRIPTA A. 1741.

Monendus est Lector, beato Autori nostro non tantum ipsam materiam huius Dissertationis, verum etiam typos & ornamenta, quibus illustrata est, vnà cum aliis quibusdam non vulgaribus subsidiis: eruditissimo autem Domino Z. A. Kihlgren elaborationem textus deberi.

## *SECTIO I.*
## DE NVMIS.



*Tab. XIII. N. I. Recta huiusce numuli argentei facies, Virum Iuuenem stantem, diademate ornatum, baltheo vel fascia succinctum, sublata dextra, laeua pectori admota exhibet, cum inscriptione Litteris Anglosaxonicis: MAGNVS REX.*

*Auersa, Crucem, figurae quadrangulari globulis exornatae inclusam, quae vtcunque etiam Cratem repraesentat, adscripta Epigraphe Runica:* Seuin Aulfietz Frnte.

Paucos admodum, qui vel primis, quod aiunt, labris res historicas Daniae degustarunt, confido latere, Officinam quandam Monetariam Lundae eandemque percelebrem a primis inde introducti Christia-

nismi Seculis extitisse, & apud rerum Danicarum historicos saepius nominari; (a) unde Auctor Musei Regii Danici in Prooemio *ad numos varios ac monetas Regum Archiepiscoporum & Episcoporum* monet: ab anno MCCLXXXVIII. sub Rege Erico Menwed denarios nouos in edictis vsque ad annum MCCCLV. lingua Danica dici nye Skaanske penninger af Lunde mynt. Ex earum vero numero Officinarum, de quibus aliquam historicam habemus notitiam, vrgent insuper Grauissimi Auctores hanc nostratem fuisse antiquissimam. And. Stobaeus: *inter memorabilia* inquit (b) *vrbis nostrae censenda quoque Officina Monetaria* Myntergården, *Cuius mentio non raro in relictis monumentis occurrit*, & *monetam Lundensem inter antiquissimas non iniuria aestimat Thomas Bircherodius in specimine rei monetariae pag. 129* (c) & *Regii Numismatis meminit Saxo lib. XII. Cuius quartam partem Antistiti Lundensi donauit Canutus IV.* Otto Sperlingius in notis ad Testamentum Dni Absolonis Archiepisc. Lundensis ad verba *Denariorum Schaniensium* sic disserit: *Scanienses Denarii non cudebantur nisi Lundis. Lundensis vero Monetae vestigia retro legere possumus vsque ad Canutum IV. Regem, qui primus Archiepiscopo Lundensi quartam partem istius monetae concessit circa annum MLXXX. Ego a Suenone Esthritio primam monetae Domum Lundis erectam iudico, postquam illic Episcopatum constituit insignem ab anno Chr. MLXV, nec ante Canutum Magnum Danos propiam monetam constitutam habuisse intra Danicum Regnum*

(a) Vide sis ill. Hwitfeld. in Chron. Tom. I. p. 310. 445. 446. 564. (b) In Dissertat. de antiqua vrbe Lund. cap. I. §. 9. (c) item pag. 57.

*Regnum facile quis euincet &c.* Mihi sufficiant duo allata testimonia, si cui vero haec non prorsus satisfaciant, alios in hoc negotio adeat historicos, qui omnes, quotquot mihi videre licuit, testimonio vt antiquissimo ita certissimo innixi Saxonis Grammatici (d) Canonici Lundensis, rerumque adeo nostrarum callentissimi, (e) vno ore largiuntur ante Canutum IV. Seculo XI. monetam Regiam Lundae Scanorum constitutam fuisse, adeoque iam ante annum MLXXX. viguisse. Hinc dicam mihi scripturum arbitror neminem; si nostram officinam totius fere Scandinauiae antiquissimam existimem, quod salua opinione aliorum firmari videtur apud Messenium, (f) vbi quantum antiquitate aliis aliarum vrbium licet Vetustissimarum Officinis nostra praestet, clare elucet. Numulum hunc Suenonis Vlphonidis vel Esthritii esse dudum in duobus a se editis scriptis ostendit Nicolaus Kederus. (g) Cuius studio Antiquitatis indefesso suos quoque sub fig. 1. 2. & 3. numulos opella nostra acceptos refert. Viro autem huic de Antiquitatibus nostris meritissimo & alioquin satis Lynceo largiri nequeo, per Magnum Regem in recta denotari Magnum bonum

 Norue-

(d) Libro XII. pag. 216. ed. Steph. (e) Fuisse Saxonem Canonicum Lundensem, non Praepositum Roschildensem probat contra Stephanium O. Sperlingius in notis ad testamentum Absolonis Arch. p. 36. Quod etiam ex codice membranaceo, vbi expresse nominatur Canonicus nomine Saxo, tunc Ecclesiae Lundensis Acoluthus, confirmatur. (f) Scond Illustrata T. II. p. 62. Tom. XII. 138. (g) De Argento Runis seu litteris Gothicis insignito Lipsiae MDCCII. item Runae in nummis Vetustis diu quaesitae, tandemque feliciter ibidem inuentae Lipsiae MDCCIV.

Noruegiae Regem, quem ceu Dominum suum hoc numismate agnosceret, constitutus ab eodem Sueno Gubernator imperii Danici. Ipsa enim obstat historia. Licet enim aliquando Gubernator a Magno factus sit Daniae; (h) Magnum tamen eo vsque non suspexit, vt eundem tanquam Regem suum in numis veneraretur; contra ea, vi, armis, astu, consiliis, regnum suum auitum Daniae extorquere niteretur. (i) *Magnus Rex* competit ideo non Regi cuidam Noruegiae, sed ipsi Suenoni Vlfonis filio a Clericis ita inprimis ob studium & amorem in Ecclesiam eiusque Ministros nuncupato. Sic absolute & κατ' ἐξοχὴν *Magnus Rex* in litteris dotationis Ecclesiae S. Laurentii salutatur, (k) vbi Cnuto IV. dicitur *Magni Regis filius* atque in Sigillo infra pluribus describendo, quo idem hoc Diploma confirmauit, *Magni Regis natum* se ipsum appellat; vnde recte hunc Suenonem Esthritium cognomento Magnum dictum fuisse notat Bircherodius *de Monetaria re antiqua Danorum* p. 48. Robur huic sententiae addit Reu. Episcopus Lincopensium D. D. Er. Benzelius (l). Cur vero *Seuin* Sueno heic se *Aulfiets* Olaui *Frnte* Consanguineum nominet, notum est ex *Snorrone Sturlaeo* (m) Olaum nempe nostrum Skötkonung Suecum, Suenonis huius Auunculum fuisse; vti ex eiusdem Schemate Genealogico, (n) vbi numus

(h) Snorro Sturlaesons Heims Kringla Tom. II. p. 29. ed. Perings. (i) Idem in vita Magni boni. (k) Tria antiqua Mon. historica Lund. (l) Comment. Mscr. in Histor. Sweo-Goth. Lib. IV. cap. 2. item Acta Litteraria & Scient. Sueth. Anni MDCCXXXIII. N. 3. (m) Tom. 2. pag. 27. (n) in notis ad Vitem Aquil. Vastouii. Monum. Benzelian. pag. 32. 33.

numus hic ceu genuinum probandi testimonium adducitur, liquet. Sicque hoc numulo non modo sibi de tanti Monarchae vt Auunculi sui sanguine gratulari, verum etiam gratum erga se exulantem praestiti hospitii signum exstare voluit. Si quem fortasse moueat diuersum idioma inscriptionum, verbis illi respondebo Kederi: *Atque Suenonem istunc firmare insuper videtur Numi auctorem gemina Litteratura, Gothica videlicet & Latina, vtraque circa Principis istius tempora per regiones aquilonares in vsu; inualescens paulatim haec, dum illa altera sensim euanescebat.* Quibus & haec addo: Latina nomen ob merita in Ecclesiasticos & Religionis curam inditum; Gothica vero stemma gentilitium inscriptione celebrari. Lundensem autem cur hunc crediderim, facit charagma non dissimile duorum subsequentium, in quibus cum manifesta fiat Lundae mentio, non dubitandum omnes tres esse eiusdem incudis; inprimis cum pro temporis illius genio, figura illa Crucis in auersa simul Cratem forte exprimat. Neque multum dubitamus ad hunc quoque *Magnum Regem* pertinere numulum Actis Litter. & Scient. Suec. Anno MDCCXXXIII. insertum, & delineatum ad *p. 28. N. I.* Neque hunc neque alterum illum ibidem descriptum & sub *N.* 2. depictum Officinae Lundensi abiudicandum puto; Et sic vel ab hisce numismaticis inferre mihi liceat documentis: aut ab hoc Rege Suenone Estritio, iuxta Sperlingium, aut non multo ante eum tempore, vel a Chutone Magno, vel Suenone bifurcatae barbae, primam Lundae constitutam fuisse Officinam Monetariam.

*N. 2. Recta Saluatorem Mundi sedentem, nimbo circum-*

*circumdatum, dextra globum tenentem & hasta transfixum, quodammodo repraesentat.*

*Auersa Cratem vel Crucem lunulis sibi obuersis cum legenda Runica: ASKERD VGI LVNT.*

Numus est argenteus, sed vilioris metalli. Heic primo obseruandum, A Runicum vti heic pingitur in monumentis promiscue vt A & Æ pronuntiari. (o) Litera ᛋ propemodum vt Latinum N scripta, non adeo infrequens est in inscriptionibus Gothicis, sic ex. gr. vltima in Numuli jam supra memorati & ex *Actis Litter. & Scient. Ann. MDCCXXXIII. sub N. 2.* adducti auersa, non potest alia esse, licet lineola combinatoria ibi desideretur; Sic etiam inuenitur in voce *Osa* Lapidis Tulstorpiensis in Scania non adcurate a Vormio delineati, (p) ᚴ & ᛏ duplicem habuisse consonantium potestatem ante Waldemarum II. quorum Illud K. & G, hoc D. & T. valere, notum est. (q) ᛁ Runicum in VGI, Calcographi incuria est omissum. Figuram 8, quae post *Lunt* sequitur, ab oscitante aut ludente Artifice credit Nobiliss. Kederus substitutam in locum *Crucis, quae in numis Christianorum decenter sublimata legendi auspicium & terminum*, vt in numis sub fig. 1. & 3. *indicare solet.* De nomine *Askerd* coniecturam facit Kederus (r) *esse nomen Viri & quidem aut Monetarii aut alius cuiusdam honoratioris.* Quid VGI vel

(o) Vide sis Ol. Wormii Litterat. Dan. cap. XIII. (p) Eiusdem Mon. Dan. p. 201. (q) Ei. Litt. D. cap. XV. (r) Tract. Runae in numis Vetustis &c.

vel Vki significet, nisi sit Verelii *Vkui* in Runographia p. 21. se ignorare fatetur. Saluo vero tanti Viri iudicio, Numum hunc primo Archiepiscopo Lundensi ASCERO tribuendum existimo, idque trinas ob causas: Primo, quod ante Ascerum constituta fuerit Officina monetaria, quam titulus *Lunt* in auersa indicat, Lundam esse Scanorum, non Londinum Anglorum, quippe tum *on Londen*, ipsis fatentibus Anglis, foret (s). Deinde, Figura illa auersae non crucis solum, sed quoque Cratis S. Laurentii figuram insinuat, adeoque insigne Basilicae Lundensis. Atque insuper videor mihi, in Voce VGI reperire quidquam, quod numulum potissimo iure Ascero huic vindicet. Notum enim est, Veteres Scandianos caruisse Littera Y, eiusque loco vsos fuisse ᚢ; nec eosdem semper in monumentis geminasse literas, quamuis geminatae pronuntiarentur; cum etiam K. & G. vno eodemque elemento scribantur, videor mihi, inquam, heic inuenire cognomen Othini *Yggi* s. *Vggi*; quod Venerandum interpretatur *Gudmundus Andreae in Lexico Islandico* Lit. Y, conf. cum *Eddae P. 1. Mythol. 18. & Part. 2. Tit. Nöfn Odins*, adeoque bene congruere cum titulo Venerabilis, qui occurrit, quoties huius Pontificis nomen memoratur in Fastis Necrologicis Ecclesiae Lundensis membr. Mscr. nimirum ad III. Idus Ian. XII. Kalend. Iul. II. Kal. Iul. XI. Kal. Aug. XIV. Kal. Dec. (t). Et hac ratione commodissime interpretamur Askerd Vgi Lunt per Askerus Venerabilis

 Lundae

(s) Vid. Acta Litterar. & Scient. Sv. Anno MDCCXXXIII. N. 3. (t) De Ascero hoc Trokilli filio Venerabilis dicto, vide sis Tria Mon. hist. Ant. Lundens.

Lundae flando, feriundo, fieri curauit; nisi quis forte potius credat, *Asgerd Vgi* nomen fuisse Monetarii cuiusdam, aut etiam ad Esgerum Archiepiscopum referre malit, cui tamen, vtpote qui demum Seculo XIV. vixit, charagma numi non satis bene respondet, licet summus Antiquarius O. Sperlingius eundem Seculo XV. vix antiquiorem reputet. (u)

*Num. 3. Vir barbatus, nimbo diuinitatis circa Vultum effulgente, togatus, sedens, dextra globum, laeua Sceptrum crucigerum tenens, cum Literis Graecis* IΣΣΣΣΣΣ

*In Auersa, Crux vel Crates ad angulos, nescio quid ornamenti Liliacei aut cruciformis habens, praeter duas lunulas cum Epigraphe Gothica: THVRGVT: LVNTIS: Numus est argenteus.*

Rectam Saluatorem mundi repraesentare, cuius nomen tres priores Literae IΣΣ indicant, facile quiuis animaduertit; ceterae quid sibi velint, nisi sint repetitae Siglae nominis Σωτῆρος, ab omni superstitione forte non immunes, prorsus ignoro; nam quomodo Monetarii nomen designent, vti non nemo opinatus est, ego quidem nequaquam percipere possum. Ob figuram illam qualemcunque *Cratis* & nomen Incudis expressum *Luntis*, nostrum esse numum haud temere quis inficiabitur. Variae autem occurrunt sententiae de *Thurgut*, quas vt speciosas magni quidem facio, inprimis vero illam, qua refertur ad *Thurgothum* expeditionis cuiusdam Danorum in Angliam Ducem. (v) Veritati tamen magis mihi consentaneum videtur, si per *Thurgut*, Thurgotum vel

Thrugo-

(u) Citante Nicol. Kedero in tractatu de Nummis Runicis. (v) Acta Litt. Sueciae anni MDCCXXXIII. p. 27.

Thrugotum octauum Archiepiscopum Lundensem explicemus; (w) idque ipsum Luntis indicat; eo enim Seculo, & praecedente quoque, saltem ad finem vergente, plurali tantum numero efferre nomen oppidi huius soliti fuere monachi; vti ex Diplomatibus Canuti sexti, Christophori I. & Erici Glipping cognominati, Regum Daniae, quibus anno MCLXXXVI, MCCLII, & MCCLXXXVIII, priuilegia Canonicorum confirmarunt, nec non ex alio Erici Sancti Plogpenning dicti, dato Lundis anno MCCXLIX. VI. Idus April. liquet (x) Contra haec si quis obiicere vellet; Runas sub primis Christianis regibus abolitas fuisse, adeoque cum monetis Archiepiscoporum nostrorum posterioris aeui inprimis minus conuenire; respondeo: Tot monumenta Lapidaria, post illa tempora, quibus Runae dicuntur abolitae, erecta, contrarium euincere. Exemplo sit Monumentum *Asumense* Scaniae, vbi runis sequentia leguntur: *Krist: Mario: Sun: hialpi: dem: er: Kirkiu: dinu: gudi: Absilon: Erkibiscup: ok: Esbiorn: Muli:* (y) Quid, quod Runae transductae ad alias linguas Latinam puta & Germanicam exprimendas, lapidibus saepe insculptae legantur; vt hic praeteream Monumentum *Alrumense*, (z) sufficiat allegasse inscriptionem Runicam ad Ianuam australem Templi cathedralis, ipsi muro in-

Gg 2 sertam

(w) Tria Mon. hist. Lund. (x) Horum primi nondum forte editi ad calcem huius dissertationis copiam faciam: reliqua duo etiam exstant inter Priuilegia collegii Canonicorum Lundens. Mscr. Quarti meminit Illust. Hwitfeld. Chr. T. I. p. 221. (y) O. Wormii Monum. Dan. p. 171. (z) ibid. p. 176.

sertam anno MDXXV. (*a*) Haec satis arguunt: infirmo, hypothesin de abolitione Runarum, Christianismo introducto, niti argumento, cum tot sequiora & firmissima Veritatis documenta, iniuriae sibi a scriptoribus eiusmodi factae, lectorem conuincant.

*N. 4. Effigies Viri coronati, pectore tenus, dextra latum ensem, sinistra Sceptrum quasi liliaceum gestans:*

*Figura hominis mitrati, dextra crucem, laeua pedum episcopale tollens, numus est argenteus.*

*N. 5. Effigies Regis coronati & paludati, pectore tenus, recta hastam seu bipennem, laeua globum cruce vel lilio ornatum gerens:*

*Effigies Praesulis infulati, Crucem dextra, laeua Lituum sustinens. Argenteus est.*

*N. 6. Effigies Regis diademate redimiti & pellibus Hermineis paludati, vmbilico tenus expressa, dextra Sceptrum, laeua globum cum cruce attollens.*

*Auersa, Pontificis infula ornati, dextra crucem, sinistra pedum Episcopale gerentis, effigiem repraesentat. Argenteus quoque est nummulus.*

Quod aethiopis facie conspiciendus sit hic Praesul; aut pictoris aut caelatoris errori & oscitantiae tribuendum.

*N. 7. Rex imberbis, pileo & toga indutus Regali, dextra Sceptrum liligerum, ad sinistrum Colli Littera W. conspicitur:*

*In altera, Archiepiscopi infula sua insignis, pallio item*

(*a*) Dissertat. de monumentis Lapidariis. conferant. quoque Max. Rev. D. D. O. Celsii obseruat de Monumentis quibusdam Runicis, temporibus suis redditis, Act. Litt. Suethiae passim insertae.

*item stellis utrinque exornato induti, dextra Vexillum, sinistra baculum gerentis Icon. Argenteus & ille est.*

*N. 8. Rex imberbis, vmbilico tenus exstans, Cassside vel corona peculiari & palla regali amictus, Sceptrum in lilium desinens dextra, pomum cum cruce sinistra tenet:*

*In postico, Icon Pontificis, duobus ab infula dependentibus Lemniscis, pallium Episcopale induti, lituum tenentis, ad dextrum latus stella sexangula, Limbus ex circellis compositus numum vtrinque ambit.*

Argenteus est numus, sed vitio Calcographi est Litera W. in recta dextrorsum a facie Regis omissa, & A. male sinistrorsum exsculpta.

*N. 9. Sistitur in aduersa, Rex cum corona paludatus, dextra Vexillum, aut nescio quid, sinistra globum gerens:*

*Auersa, Figuram Viri Vittati, nimbo circum caput ornati, dextra Crucem, sinistra cratem praeferentis, seu sanctum Laurentium Martyrem, Ecclesiae Lundensis Patronum, repraesentat: Numus quoque est argenteus.*

Cum hisce iam recensitis numulis conferri quoque merentur monetae, quas delineauit Clar. Bircherodius (*b*). Certis personis singulos hos numos adsignare, cum aliqua certitudine profecto non licet; Si vero aliquis coniecturae locus relinquatur, exhibebit Num. 4. effigiem Regis *Canuti Sancti* & Episcopi *Egini* aut *Richwaldi*, cui concesserat ius monetas cudendi. Quod Canuti Sancti praeprimis sit, suadet Ensis ille latus in aduersa Guld Hialtin cuidam, (*c*) Snorroni Sturlaeo

 Guldhu-

(*b*) De Re Monetaria antiqua Danor. (*c*) Auctori Musei Regii Dan. Tab. XXVII. N. 29.

Guldbuinn Hiolt (*d*) dictus, qui numorum huiusce Regis Character singularis, non absque ratione censeri potest, quoniam in Numis Tab. XXV. No. 44. & Tab. XXVII. No. 29. in Museo Regio Danico delineatis, non solum huius Regis effigiem distinguit, verum etiam in hoc, vbi simul in auersa, Icon Episcopi a caeteris habitu valde distincti & Archiepiscopalibus nondum ornati insignibus. Hoc idem quoque confirmat alius, quem ante aliquot annos in coemiterio Loederupensi inuentum habuit Dom. K. Stobaeus; sed Fautori cuidam curioso, cum tunc ipse de aliqua numorum Veterum collectione minus erat sollicitus, concessit. Huius enim recta exhibuit *effigiem Regis diademate ornati, dextra latum gladium, sinistra Falconem gerentis*; auersa repraesentabat *frontispicium Basilicae Lundensis S. Laurentii*; vt vix dubitandum videatur, hunc in memoriam templi fundati signatum fuisse. Quod si hos cum Sigillo Regis huius, infra pluribus describendo, conferre velimus, certe non leuem conuenientiam, sed tantam, quantam a tam rudi pictura unquam sperare licet, deprehendemus. Quod vero ad nostrum attinet, verisimile videtur illum cusum fuisse, aut in memoriam fundati & dotati Templi Cathedralis, aut, quod quidem mihi magis arridet, in monumentum tantae dignitatis, tantorumque beneficiorum muneri Episcopali concessorum, vt iam quadam Regiae Maiestatis parte vteretur Praesul Lundensis. Obiter vero heic notandum, hunc & plerosque reliquos, qui proxime sequuntur, *DANACAS* vel *naula* fuisse, (*e*) cum solitarii in sepulcris, & quidem persaepe in

(*d*) Heimskringla Tom. I. p. 699. edition Peringskiöld.

(*e*) Danace est numulus vel obolus, quem Veteres mortuis dabant, vt Charonti soluerent.

in ipsis caluariis inueniantur; *Nam mansit*, inquit *MATHIAS HOSTVS* (*f*), *hæc superstitio apud stultas mulierculas etiam nostra memoria in Papatu, quod eorum animas post mortem non oberrare, non in aedibus strepitus facere crederent, in quorum iam defunctorum Os nummus aliquis iniectus esset.* Num. 5. erit *Waldemari I.* & Archiepiscopi *Absolonis*. Num. 6. *Canuti Sexti* & Archiepiscopi *Absolonis*. Num. 7. *Waldemari II.* victoriosi & *Andreae Sunonis* Archiepiscopi, in cuius dextra, nisi valde fallor, comparet *Vexillum Danebrogicum*. Cuius igitur heic breuissimam inserere historiam, forte non inconueniens erit. Notum est ex historiis Danicis, Regi Waldemaro II. Victorioso contra Liuonos belligeranti, Vexillum a Pontifice Romano missum fuisse, vt militibus sub hoc labaro aduersus gentiles pugnantibus animi eo fortiores redderentur. (*g*) Hanc Cruciatam a Pontifice collatam posterisque traditam, tanta religione custodierunt ac si caelitus, quod stupido Vulgo persuadebant Monachi, fuisset demissa, Regesque tanti fecerunt, vt insignibus Regni Daniae eandem albo colore in solo rubeo inseruerint. Hoc Vexillum, Danorum lingua dicitur Dannebraage i. e. Vexillum textura varii coloris πεποικιλμένη & primarium totius regni Danici olim signum fuit; Quod etiam Regi electo Legatus Pontificis, Archiepiscopus Lundensis in hoc solenni actu tradebat, vt

sub

(*f*) De re numaria Veter. p. 24. citante M. Gottlob Lehmann in dessen Eylfertiges Bedenken über einigen neulich gefundenen Rendesburgischen Naulis oder Danacis.

(*g*) Vexilla eiusmodi a Pontifice Romano consecrata & Regibus missa, Galli vocant *Gonfanons* vel *Bannieres de l'eglise*. vid. Diction. Vniversel de Moreri.

ſub his auſpiciis, veluti indubia victoriae fiducia, Eccleſiam tueretur, hoſtes conficeret, regnum dilataret, Ciues immunes praeſtaret. Quod tamen alio ſpectabat ac videri volebat; quis enim non animaduertit faſtum Pontificum, Reges hoc modo a ſe regna tanquam beneficia impetrare volentium, vt hi beneficii auctorem perpetuo agnoſcerent & quaſi pro patrono colerent & veluti alii feudatarii, iuramento praeſtito, feuda ſibi commiſſa acciperent. (*h*) Num. 8. Hunc exiſtimat Auctor Muſei R. Danici eſſe *Waldemari* primi, & Archiepiſcopi *Abſalonis*. (*i*) Eſſe Waldemari cuiusdam indicant ſatis literae initiales W & A, niſi expreſſus character ſit geminatum I, atque adeo II. ſignificet potius ſecundum quam elementum A. Num. 9. Quicquid illud ſit, ſiue Vexillum ſiue Plenarium (*k*) quod typus rectae huius numi dextra gerit, Regis iuuenis effigiem in illo denotari certum eſt, cuius & capitis ornamentum, & pomum crucigerum ad laeuam conſpiciendum hoc indigigitent; Quod vero in auerſa non Archiepiſcopi ipſius, ſed Patroni Eccleſiae Lundenſis Diui Laurentii icon exhibeatur, & nimbus & vitta, & denique martyrii genus, quod oſtentat, ſatis ſuperque probant; praeterea etiam tale eiusdem ſimulacrum non tantum diuerſis in locis Templi Cathedralis hodienum conſpicitur, verum etiam, modo non diſſimili, in Sigillis Archiepiſcopi Vpſalienſis MAGNI BOOSON & Capituli Eccleſiae Vpſalienſis idem comparet. (*l*) Hunc Numum eſſe *Erici*

R. D.

(*h*) De Vexillo Danebraage legat. Illuſt. Hwitfeld. Tom. I. p. 180 & alibi. (*i*) Tab XXV. No. 30. (*k*) Plenarium quid ſit, explicat Sperling in notis ad Teſt. Abſ. p. 139.
(*l*) Vid. Ioh. Peringskioeld. monum. Vllerakerenſ. p. 138. & 139.

R. D. *Menwed* cognominati; aliquis vel inde coniicere posset, quod loco Archiepiscopi ipsum Martyrem D. Laurentium exhibeat; notum enim est, hunc Regem Archiepiscopum captiuum abduxisse & tamen Canonicos & omnes ac singulos Lundensis Dioecesis Clericos, quamuis haec Ecclesia sine Pastore iam esset, integris suis bonis, iuribus & immunitatibus sub Regia sua tutela & gratia fruituros, literis regiis Anno MCCXCIV. datis, spospondisse; vt adeo non absque re affirmare liceat, hunc Regem tali numo significatum voluisse, se quidem Ecclesiam DEI eiusque Sanctos diligere magnique facere, sed simul Archiepiscopi paritatem, multo vero magis fastum & insolentiam fastidio sibi esse. (*m*) Hos numos Lundensis esse incudis & omnes, si primum & vltimum exceperis, in memoriam electionis & inaugurationis Regum in Colle Slibare-Högen Rusticis dicto, heic prope Lundam, percussos esse, admodum probabile videtur, cum & primarias in hoc actu personas, & insignia, quibus illa inauguratio perageretur, ostentent, nec alibi Praesuli tam antiquum ius cudendae monetae concessum fuisse legamus; vnde ipsis his numulis occasionem subministrantibus, non ingratum prorsus fore lectori, antiquitatis studioso, spero, si paululum, quantum breuis haec opella permittit, Colli huic Regum electionibus adeo inclyto immorer. Veteres Scandianos quin & alias Gentes de publicis rebus, vt de electione Regum principumue consultaturos, sub dio ad certum aliquem locum conuenire solitos fuisse, testantur in Suecia nostra frequentiora Comitia ad Mohra-Stenar prope



(*m*) Conf. Ill. Hwitfeld. Chr. T. I. p. 304.

Vpſaliam. (*n*) In Noruegia, Eyra Ting. (*o*) In Cornubia Anglorum, Biſcow Woune. (*p*) In Germania monumentum, quod vulgo der Königsſtuhl bey Renſe dicitur, non procul a Confluentia diſſitum. (*q*) In Carinthia, memorabilis ille Furſtenſtein. (*r*) In Seelandia prope Letram, Sella Regia Kongs ſtohlen. (*s*) In Cimbria, Campus Danerlitung prope Viburgum. (*t*) & tandem Collis noſter Lybers-Høg prope vrbem hanc, vbi Comitia eiusmodi, (*u*) longa temporum ſerie, ſunt habita. Varias vero apud Auctores ſortitur Collis noſter appellationes; ſic dicitur *Trollebarolhöy*, (*x*) *Trollebarolbium*, (*y*) *Treloyeborg*, (*z*) *Troloyehantzhoey*, (a) *Leyrborshöey*, (b) Loiiebarshöi, (c) *Lubershöi*, (d) Lybers Höi, (e) *S. Liberti* Hög, *Libanus Collis*, Slibare Högen, (f) Ly-

(*n*) Vid. Mich. Wexionii Deſcript. Suec. Lib. V. cap. III. (*o*) Snorro. Sturl. Heimskringla Tom. II. p. 5. 196. 336. 412. 422. (*p*) Cambdenus in deſcript. Britanniae p. 139. citante Keyslero in Ant. Celt. p. 94. (*q*) Ioh. Hübners vollſtand. Geograph. T. III. p. m. 459. & Ioh. D. Köhlers Teutſche Reichs-Hiſtorie p. 304. (*r*) Ioh. Hübners vollſt. Geogr. T. III. p. m. 149. (*s*) Ol. Wormii Monum. D. p. 88. (*t*) Idem l. c. (*u*) Haec publica Nobilium comitia obſeruat. And. Hoyer in Dannemarkiſche Geſchichte dicta fuiſſe Danehoff, p. 54. dicta quoque fuiſſe Parlamenta probat Waldemari Birkeraett data Malmogiae aliisque vrbibus MCCCXXVI. in parlamento Nyborrig. (*x*) Ioh. Suaningius in hiſtoria Chriſt. I. citante Worm. in Mon. D. p. 89. (*y*) Ioan. Meurſii Hiſt. Dan. p. 8. (*z*) Schwediſche Biblioth. drittes Stück p. 202. (a) Ibidem (b) ibidem. (c) Ol. Wormii Mon. Dan. p. 88. (d) Chron. Noru. edit a Petro Claudii filio P. Vndalino p. m. 582. (e) Ill. Hwitfeld. paſſim in Chr.

(f) Lydeboars Hög. Vltimam hanc, vt maxime genuinam, praeeuntis Proaui B. M. Andr. Stobaei vestigia venerabundus obseruans, lubentissime amplectar. Hoc autem ille modo (g) differit: *Ex historia insuper Danica Meursii p. 8. discimus, ante hanc vrbem collem esse, in quo Reges, prisco gentis more eligi soliti erant; Collem Meursius vocat Trollebarolbium, voce nimium depravata, neque enim hic vspiam eius nominis Collis existit. Nisi collem* Lybershög, *in quo electionem factam communis fama fert, binominem fuisse & alterutrum nominum obsoleuisse largiamur.* Lybershög *autem dicitur quasi* Lydeboarshög, *totus enim hic tractus intra amnes* Lumma *&* Lyde *dictus est* Lydebackar, *cumque rarissime spem agricolarum opimis fallat messibus, prouerbium increbuit:* Alla kunna intet boo på Lydebackar i. e. *non omnibus datum est habitare in collibus Lydeis, quo significatur non omnibus eandem esse felicitatem:* Nec negandum est, feracissimam esse glebam & Colles hos cum Libycis illis areis apud Horatium (h) bene conuenire; Horum enim incolam iuuat:

— — — *Si proprio condidit horreo*
*Quicquid de Libycis verritur areis,*
*Gaudentem patrios findere sarculo*
*Agros.*

Ex hisce satis superque constat, quaedam inter recensita nomina Collis nostri, aut contracte pronuntiari, aut dialecto Danicae, vel male narranti ac describenti originem debere; quod tantum de nominibus Collis nostri



(f) Herm. Chytraei Vei. Mon. Scanica Msc. (g) And. Stobaei Differt. de Antiqua Scania p. 28. item §. I. in differt. de Antiqua vrbe Lund. (h) Ode I. Lib. I. Carmin.

stri a *Ley*, *Lai* vel *Ly* incipientibus, dici velim. Cum vero in Vicinia Collis nostri loca alia extra vrbem edita occurrant, horum recensio dabit fortassis occasionem coniectandi quoque de aliis nominibus. Sic prope pagum Wahlkiärra, est maximus ad viam Regiam Toll-Högen, forte Troll-Högen, quia fama est Ruricolarum, opulentos illic thesauros a Cacodaemonibus Trollen asseruari. Arua in quibus situs est Troll-Högen, dicitur Trolle-Wången. Wång Scanice, Wang Danice, Suethice Giärde, est Campus sepe, ob messem ab insultu bestiarum conseruandam, munitus. Inter Collem Lybers-Hög & Troll-Högen, dextrorsum ad viam Regiam est Kungs-Högen, Collis Regius. Ad ortum a Colle nostro, quatuor fere stadiis, sunt Cliui Comitiales Tings-Högarne, in quibus, ab vltimis temporibus, comitia ciuium publica celebrata fuisse perhibent indigenae. Ad occasum, aequo fere spatio, conspicitur Collis Bål- siue Boll-Högen dictus, quem, tempore belli ad indicandos hostium incursus, pyris instruendis & incendendis, propter amplum quaquauersum conspectum inseruire narrauit mihi rusticus. His praemissis examinanda est Iohannis Meursii nomenclatura. Verba sunt (i) *Is* (scil. Christianus I.) *postquam aduenisset IV. Kalendas octobreis ante Lundiam, in Trollebarolbio colle, prisco electionis loco, frequentissimo conuentu, accepto ab omnibus iuramento & Vexillo item Regni ab Iuone Archiepiscopo, Rex a cunctis Daniae Noruegiaeque salutatur.* Duplicem hic esse mendam recte annotauit Clarissimus Stephanius, existimat namque, Meursium fugiente nimis oculo legisse verba, *Iohannis*

(i) In Historia Daniae p. 8.

*hannis Suaningii* Historici in vita Christiani I. Regis Daniae. Luculento id esse potest indicio, quod pro *Trollebarolhöy* substituat *Trollebarolby* lat. Trollebarolbium & Archiepiscopum *Tuonem* Meursius perperam *Iuonem* appellat. Si quis igitur Suaningium suum *Trollebarolhöy* confuisse ex Trolle- & Bålhög existimet, illi non refragabor, cum nullam aliam nominis huius rationem adferre valeam. *Trolloyebantzhoey* nihil aliud esse crediderim quam Trollewangshöi, Collis in Trollewångett. *Treloyeborg* originem debere Trolle & Loyebars, Dauus forte videt. Slibare Högen, vt nomen vulgatissimum, ortum esse crediderim a voce scania sliba, slipa, acuere. Commodissimus enim situs Collis nostri, cum riuulo Slibarebäcken cliuum praeterlabente, dum ille a rusticis sepe adauctus vmbram & refrigerium, hic aquam exacuendis cote falcibus messoribus praebent, videtur ruricolis occasionem dedisse nominis Slibarehögen, vt proinde non opus sit cum *Herm. Chytraeo Veiano* ad diuum aliquem S. Liberium vel Libertum confugere, cum nomen hoc nec antiquum sit, nec apud alios auctores fide digniores inueniatur.

*Nec DEVS intersit; nisi dignus Vindice nodus inciderit.*

Ex diuersis hisce Collis nostri nominibus suspicari liceat, electiones Regum non praecise semper in eodem peractas fuisse loco, sed tantum in Vicinia, & pro remotiori vel propriori locorum vicinorum, in quibus fierent electiones, ad collem nostrum distantia, varias hasce appellationes enatas esse. Ritus autem, quibus haec Regum electio & homagium perageretur, suppeditant Au-

ctores (k) hoc modo: Regem nempe eligendum, cui fidem sacramento praestarent Ciues, primo in templum sancti Laurentii, precibusque ibidem peractis, & donis Templo eiusque Ministris oblatis, extra vrbem se contulisse; Deinde ordinem equestrem Ciuesque honoratiores, summa ordines Regni, prius, vti suspicamur, in Collibus comitialibus Tingshögarne congregatos, Regi in colle maiori Lyberhög *antiquo electionis loco* occurrisse, praestitoque a Rege iuramento Archiepiscopo, ceu Principi aut Antistiti Ordinum, de iuribus, priuilegiis, immunitatibusque singulorum ciuium conseruandis, Regem, impetrato ab eodem Archiepiscopo Vexillo Regni, fuisse ab omnibus salutatum. Quibus in campo finitis, in vrbem Lundam omnes rediisse, mutuisque ibidem sese excepisse conuiuiis. (l) Cumque hic Collis noster, pluribus in locis, priscus & antiquus electionis locus nnncupetur, (m) non dubitandum videtur, morem hunc electionum a multis retro temporibus esse repetendum, quousque scil. Scania vel sui iuris fuerit, vel Danico paruerit imperio. Et licet ante Waldemarum II. de more hoc eligendi & inaugurandi, explicita apud Auctores non inueniantur testimonia historica; num ideo negandum, multos vel illum antecedentes vel subsequentes & quorum electiones apud auctores non commemorantur, loco ei rei proprio inauguratos fuisse?

Cum

(k) Ill. Hwitf. Chr. T. I, p. 570. Suaningius apud Wormium in Mon. D. p. 89. Consult. Dni Christ. Nettelbladt Schwedische Bibliothec drittes Stück p. 202. Meurs. Hist. D p. 8. 46. 57. (l) De Conuiuio videatur praeprimis Hwitfeld. Chr. T. II. p. 1456. (m) Apud Meurs. locis cit.

Cum vel tacitus mihi videtur Auctorum consensus hoc probare. Praeterea, certe de Regis Suenonis cuiusdam inauguratione, testimonium perhibet Numulus apud Kederum, (n) persimilis nostro sub No. 10. delineato. Quisquis autem fuerit ille *Suein Rex*, licet cum Suenotthonis monetis charagma adprime conueniat; haud facile dictu erit. Ante constitutam Lundae Archiepiscopalem sedem percussum esse; quod Angelus locum Archiepiscopi in illo occupet, insinuare videtur. Quod si vero per hunc Angelum, Regem Noruegiae & Daniae Magnum Bonum intellectum velimus, sane nullam veritati vim inferemus; cum Historici testentur, hunc Regem iam moribundum ad sese arcessisse Suenonem Estritium eique Regnum Daniae tradidisse. (o) Suenonem cognomine Grathe, in Scania quoque electum & confirmatum fuisse, narrant Saxo & Hwitfeldius. (p) Nec de loco diu haesitandum videtur. Sed de Canuto VI. negare non possumus illum Ringstadii, parente adhuc superstite & sic volente, ab Archiepiscopo Lundensi inauguratum & coronatum fuisse; verum aegre Scanienses hoc tulisse & primum aduersus Patrem, illoque mortuo, etiam aduersus ipsum Canutum seditiosum bellum commouisse, regemque sibi alium, Haraldum Skreng, elegisse; tandem vero heic prope Lundam, amica & facunda adhortatione Absolonis Archiepiscopi delinitos pacatosque Haraldum suum repudiasse, ac Canuto Regi legitimo obedientiam promisisse. (q) Hoc autem certissimum est, hunc regem diplomate suo Ecclesiae & Ca-

pituli

(n) de Argento Runis insignito N. 4. (o) Hwitfeld. Chr. T. I. p. m. 79. (p) Hist. Dan. lib. XIV. p. m. 253. & Chr. T. I. p. m. 103. (q) Hwitfeld. Chr. T. I. p. m. 140.

pituli Lundensis priuilegia Anno MCLXXXVI confirmasse; an tunc ipsi denuo homagium praestitum sit, non facile dixero; Id tamen vere dicere possum, plerosque Reges circa suae inaugurationis actum, hasce Clericorum nostratium immunitates litteris confirmauisse. Et sane post Waldemari II. tempora, Vexillum illud Regni **Danebrague**, quippe cui Papicolae diuini quid inesse Vulgo persuadebant, & consecratio a Legato Papae dubitare non sinunt: Tantum enim abest, vt Reges hunc solennem actum, ob captandam beneuolentiam Ciuium intermiserint, Archiepiscopi ius hoc Regem inaugurandi & consecrandi neglexerint, Nobiles & Ordines regni sibi & suis priuilegiis apud Regem nouum defuerint, vt potius, reges semper in Papatu obseruasse, & numis ex Lundensi Officina duplice facie Regis & Archiepiscopi signatis, memoriam electionum eiusmodi prope vrbem nostram indicare & conseruare voluisse, arbitrer. Idem esto iudicium de regibus, qui Lundae nostrae apud Auctores dicuntur coronati, quamuis nulla eorundem, vt extra vrbem electorum, fiat mentio, probabiliter tamen adfirmari videtur: Eundem extra pomoeria in prisco electionis loco fuisse electum, qui intra eadem postea coronatus dicitur. Indicem itaque Regum cum in vrbe nostra coronatorum, tum in colle electorum, prout eundem apud auctores colligere licuit, Lectori sistam:

Valdemarus II. Victoriosus, coronatus ab Archiepiscopo Andrea Sunonis Anno MCCIII. (r) Ericus Plogpenning dictus, coronatus ab Vffone Trugothifilio Anno MCCXXXII. (s) Christophorus I. cum Regina Margaretha Sambiria Sprenghest coronati ab Eskillo Slesuicensi

(r) Illustriss. Hwitfeld. Chr. T. I. p. 171. (s) Id. p. 198.

censi tum Episcoporum Seniore, mortuo nuper Archiep. Vffone. (t) Ericus Menwed ab Archiepiscopo Iohanne Droës MCCLXXXVIII. (u) Olaus Haquini & Margarethae Filius, electus MCCCLXXXV. (x) Margaretha Regina, absens licet, eligitur MCCCLXXXVII. (y) Christianus I. Oldenburgicus, electus & inauguratus a Tuuone Archiep. MCDXLVIII. (z) Iohannes Christ. filius, eligitur viuo Patre & Archiep. Tuuone MCDLXVIII. inauguratur per Iohannem Brochstorp MCDLXXXI. (*a*) Christiernus II. bis fide publica Ciues in colle sibi obstringit. 1. viuo Patre, 2. per Comitem Oldenburgicum Christophorum (*b*) Fridericus I. MDXXIV. (*c*) Christianus III. MDXXXV. (*d*) Friedericus II. MDXLII. (*e*) Christianus IV. MDLXXXIV. (*f*) Christianus V. Princeps MDCX. (*g*)

*N. 10. Effigies siue Regis senis, siue Archiepiscopi erecti, coronati & trabea vel pallio induti, dextra labarum Principi Iuueni adstanti tradentis; sub vexillo: 11. In altera, crux, quam tres Lunulae ad singulos apices,*



(t) Id. p. 235. (u) Id. p. 300. (x) p. 570. (y) p. 573. (z) Ioh. Meurs. Hist. Dan. p. 8. (*a*) Ibid. p. 46. 57. item Schwed. Bibliothec drittes Stück p. 202. Vnde sua desumserit Ioh. Hübner in Reales Staats- Zeitungs- und Conuersat. Lex. Tit. Ord. Eleph. dum Iohannem hunc cum Christina filia Ernesti Ducis Sax. nuptias Lundae MCDLVIII. celebrasse perhibeat, ego inuenire non potui; meliora nos instruit Illust. Hwitfeld. T. p. 956. non semel vero dormitat bonus ille Hubnerus. (*b*) Hwitfeld. T. II. p. 1094. & 1422. (*c*) Ibid. p. 1254. (*d*) Id. p. 1456. item And. Hoiern Dannemarkische Geschichte p. 221. (*e*) Iidem p. 1526. & 260. (*f*) Cl. Lyschanders Slecktebog p. 695. (*g*) Siw. Grubbe Curricul. Vitae mscr.

*ces, & aliae quatuor maiores in angulis, Rosa autem in medio, exornant cum Epigraphe: KRISTIERNII.*

Numus est argenteus crassior sincerioris metalli; hic perquam illi similis, cuius supra ex *Kederi Scripto de Argento Runis insignito* mentionem feci, inaugurationem sistit Principis Christierni II. Hanc vero per Birgerum Archiepiscopum Lundensem Hafniae factam, extra dubium est. Praeter alios enim historicos, eiusdem meminit Appendix Mscr. Dni. Nettelbladt ad Chronicon Nicolai Archiepiscopi Lundensis in hunc modum (*h*); *Christiernum II. in comitiis Hafniae publicis in regem inaugurauit Birgerus die festo S. Trinitatis, qui incidit in XI. diem Iunii anno MDXIV, teste Har: Huitfeldio* (*i*). Vexillum vero, in hoc actu solenni, non a Rege, sed ab Archiepiscopo nouo Regi tradi solitum, alia satis probant Historica documenta; vt adeo sculptoris aut pictoris vitio tribuendum, quod loco Archiepiscopi, hic Rex corona radiata conspicuus repraesentetur, nam in ipso numo nec corona eiusmodi nec infula, sed diademate peculiari senex ille conspicitur ornatus. Nec me fugit, cruciatam illam Danebraage a Papa missam, vnde Equites aurati Danebrogici (*k*), sub Iohanne in Ditmarsia deperditam fuisse (*l*); sed neque diu me dubitare sinit eorum temporum superstitio & huius quoque Praesulis arrogantia, aliud mox ab eodem consecratum, vel etiam ab ipso Pontifice Romano transmissum & in locum deperditi substitutum fuisse labarum. Numum vero

(*h*) Schwedische Biblioth. drittes Stück p. 202. (*i*) Chron. Tom. II. p. 1102. (*k*) Ioh. Hübners Reales Staats- und Zeitungs-Lex. tit. Danebrogs-Ritter. (*l*) Hwitf. Tom. II. p. 1033.

vero hunc Lundensi incudi vindicare ego quidem non sustineo, sed tantum ideo productum volo, quod visus mihi sit pulcre reliquos illustrare, nec ab alio, quantum scio, antea descriptus.

*Num. 11. Crates, quam in reliquis conspectior.*

*In altera, Gladius informis per quam latus & breuis, ex illorum forte genere, quos lingulas dixerunt (m) lineis quibusdam oblique tractis cancellatus quasi & deletus, ab cuius dextro latere luna, a sinistro sol, vtrinque soles minores seu potius circelli.*

Argenteus est numus, sed non sincerus. Ex Craticula in aduersa facie, Lundense hoc esse numisma satis confirmatur, eoque tempore forte cusum esse, quo inter Regem Archiepiscopumque quendam huius loci Iacobum Erlandi puta, aut Iohannem Grand, aut Legatum Pontificis, postea Archiepiscopum Isarnum, quaedam contentiones intercessere, quemadmodum videtur ex numi postica facie. Cum vero nullae feruentiores quam inter Regem Christophorum I. & Archiepiscopum Lundensem Iacobum Erlandi exstiterint querimoniae de moneta (n); existimat Auctor Musei R. Dan. (o) *Numum hunc Iacobi Erlandi fuisse.* Vir enim erat per quam fastuosi spiritus, itaque haud veritus est quoque profiteri, se aequo gladio *Spirituali*, ac Regem *seculari* accinctum esse, duos enim voluit haberi gladios, Spiritualem & Secularem (p) & sic coniectat idem ille Auctor: *Gladium in numi postica multis lineis tractis, confractum & concisum atque discerptum, aut Regem aut Ar-*

 *chiepi-*

(*m*) A. Gellii Noct. Attic. lib. X. cap. 25. (*n*) Ill. Hwitfeld T. I. p. 252. (*o*) ad Tab. XXV. N. 29. (*p*) Hwitf. T. I. p. 252.

*chiepiſcopum circa eadem tempora voluiſſe* (*q*). De huiusmodi ac aliis litigiis inter Reges & Archiepiſcopos noſtros, argute loquitur Illuſt. Hwitfeld. his verbis: **Saa befinder vi till med, at den mecktige Geiſtlighed udi fordum Dage, ſom hengde aff Paſwen, altid haffver våret Kongerne, ſom Sennep udi Nåſen** (*r*).

*Num. 12. Aduerſa Cratem rudi arte delineatam; raſtrum potius aut quiduis aliud referentem; Auerſa Clauem cum lunula oſtentat.*

*Num. 13. Recta cratem vtcunque oſtendere videtur, altera literam L quater repetitam & in quadraturam diſpoſitam, vt crucem efforinet, exhibet.*

Ambo hi numi artis admodum rudis, nec ſatis probi argenti ſunt. Crates, vtut ruditer repraeſentata, ex officina monetaria Lundenſi prodiiſſe, ſatis certnm reddit. Nec Clauis in prioris, nec Litera L in poſterioris auerſa aliud inſinuat, cum illa poteſtatem Eccleſiaſticam ſignificari, hanc initialem nominis Lundae, aut ſancti Laurentii Patroni Lundenſis eſſe exiſtimem; certis autem auctoribus, ob defectum inſcriptionis, eosdem adſignare nequeo. Huius cenſus ſunt numi quidam a Cl. Bircherodio (*s*) delineati, ille praecipue in quo litera L quadruplex conſpicitur.

*Num. 14. Recta Literam K ſeu Siglam Regiam coronatam circello incluſam.*

*Auerſa, Coronam ſeu caſſidem regiam quadrangulo incluſam, vt quodammodo craticulam quoque referat, cum duabus ad angulum ſuperiorem lunulis, exhibet.*

Litera

(*q*) Muſ. Reg. D. Tab. XXV. n. 29. (*r*) Tom. I. p. 225.
(*s*) Specimen Antiquae Rei Monet. Danorum ad p. 105.

Litera K satis indicat, numum hunc ex argento viliori conflatum, cuiusdam Regis Canuti esse; Verum, vtrum ad Canutum IV. an potius ad sextum pertineat, non liquet; Nam quemadmodum ante illius consecrationem, nomen *Knut* vel *Cnuto* per C & K promiscue fere scribebatur (*t*); ita etiam Canuti, quod illi, in diuorum numerum relato, nomen concessum fuit, non raro per K scriptum inuenitur. Certe corona illa quadrangulo inscripta, Charagmati temporum Canuti IV. non male respondet, si cum Sigillo eiusdem Regis conferatur. Verum cum metalli bonitatem, seu potius vilitatem consideremus, rectius forte hunc denarium Canuti VI. Scaniensem pronuntiare licebit, quia iam tum in deterius prolapsa fuit res monetaria, adeo vt necesse habuerit Absolon Archiepiscopus, a nouis distinguere denarios Scaniensis Veteris monetae, vti ex eiusdem testamento & notis Sperlingii patet (*u*).

*Num. 15. Littera monastica E. vt Sigla Regia, coronata, cum epigraphe litteris monastico-barbaris: MONETA. LVNDEN.*

*Crux & circum illam: IN NOMINE DOMINI.*

Numus est valde subaeratus, vel potius totus aereolus, quamuis forte recens tenui lamella argentea fuerit obductus.

*Num. 16. Corona cum inscriptione monastica: ERICVS REX D. S. N. id est, Daniae, Sveciae, Norvegiae.*

*Auersa crucem exhibet, cum hac epigraphe: MONETA: LVNDENS. Numus est ex argento optimae notae percussus.*



(*t*) Vide sis Tria Mon. Ant. Lund. (*u*) p. 9. & 103.

Numos hos Lundensis esse incudis & Regis Erici Pomerani, ex ipsis constat legendis; cumque prior vilior sit & admodum subfarcinatus, credibile est, eundem eiusdem census numorum esse, ob quos Ericus apud subditos fama laborare coeperit, de quo Hvitfeldius & alii (x) Posteriorem autem ob metalli bonitatem illius generis esse existimarim, quod optima Regina Philippa, vt odia illa ciuium concitata mitigaret, nescio Rege, probum & incudem Regis plane referens ex suo substituerit (y). Ad numos hos Erici Pomerani & Reginae Philippae, colophonis loco addam quod de nuptiis eorundem habet Diarium Vadstenense (z) MCDVI. *Hoc anno celebratae fuerunt Nuptiae Dn. Regis, cum filia regis Anglorum nomine Philippa, in ciuitate Lundensi.*

---

*SECTIO II.*

DE

# SIGILLIS LVNDENSIBVS.



*Tab. XIV. Fig. I. Martyr Laurentius crati impositus, subiectis prunis torretur; illum vero duo Genii e nubibus aspectu suo corroborant, alter diuo turribulum, alter crucem ostendens, horum in medio stella coruscat sexangula, Haec omnia ambit inscriptio monasticis literis talis: S. CAPITVLI. LVNDENSIS. ECCLESIAE. DANORVM. SWEVORVMQVE. METROPOLIS.*

Notum


(x) Tom. I. p. 726. item R. D. & Ep. Dni Erici Benzelii Comment. in Hist Sv. G. msr. lib. VI. cap. III.
(y) Loc. cit. (z) p. 35.

Tab. XIV.

1.


S. CAPITULI. LUNDENSIS. ECCLESIÆ. DANORUM. SWEVORUMQ. METROPOLIS.

2.


CONSISTORIUM. ECCLESIASTICUM. LUNDENSE

3.


SIGILLUM SINODALE PREPOSITORUM SCANIÆ

4.


LVND
1615

Notum est ex martyrologiis, peculiare & excogitatissimum B. Laurentii fuisse martyrium, eum crati impositum, ignibus subjectis tostum iacuisse, hosque cruciatus adeo spretos a constanti & sancto Viro, vt mediis in flammis exclamauerit, iusseritque in alterum se latus verti oportere, quod alterum iam satis tostum sibi videretur. Hoc suum gloriosum martyrium subiit Sanctus noster iussu imperatoris Valeriani die X. Aug. anni CCLXI. p. n. C. (a) Ad antiquitatem huius Sigilli quod attinet, nihil certi sane de illa statuere licet. Admodum tamen verisimile videtur, tum demum hac forma comparatum fuisse, cum magna de Principatu inter Vpsaliensem & Lundensem orta fuisset contentio, hoc antiquum Ius primatus denuo vrgente, quo ille se dudum subtraxit: & forte idem, post reditum Archiepiscopi Iohannis Brochstorp a comitiis Calmarniensibus, factum esse, non absque re quis suspicari posset. Notum enim ex Nob. Perinskiöldio est (b): cum Iohannes Archiepiscopus Lundensis Calmarniam, vbi Conventus Procerum trium Regnorum borealium habendus erat, priusquam Iacobus Archiepiscopus Vpsaliensis advenisset, Crucem sibi primatus signum praeferri fecisse. Quod Archiepiscopo Lundensi extra suae Iurisdictionis terminos facere non licuisse, nisi pro Primate haberi voluisset, notum est ex praeceptis Iuris Canonici (c). Hanc Crucis gestationem cum Iacobus Vpsaliensis paulo post adueniens, aegre tulisset & prorsus interdixisset, vrbem postea ingredi noluit Iohannes, sed in naui sua delituit ob denegatum Primatus hono-

(a) Baronius in Martyrol. (b) Monument. Ullerakerens. p. 169. (c) Ol. Rosenii Tractatus Iur. Pub. de Episcopis Regni Svionici Romano Catholicis p. 24. in notis.

honorem; inde domum reducem hunc Iohannem ſuſpicari liceat, hoc Sigillum, vt denuo ſuae ſedi metripolitanam dignitatem aſſereret, totamuue Svethiam ſuae prouinciae ſubiiceret, inuitis licet Vpſalienſibus, ſculpi iuſſiſſe; Fatemur equidem ante eum, Tuuonem etiam Crucem Archiepiſcopalem ibidem, adeo extra prouinciam ſuam ſibi praeferri iuſſiſſe, vti patet ex proteſtatione quorundam Epiſcoporum contra iam nominatum Archiepiſcopum (d), ſed tamen hoc modeſte ac prudenter excuſauiſſe, immo promiſiſſe, ſeſe non aegre laturum, ſi Archiepiſcopus Vpſalienſis in ſua Prouincia eadem praerogatiua aliquando vti vellet; Interim tamen, eundem & plerosque alios Archiepiſcopos Lundenſes, poſt initum Vnionis inter tria haec regna foedus, Calmarniae MCCCXCVII. vsque ad Iohannem hunc Brochſtorpium, abſtinuiſſe ab illo dudum odioſo primatus titulo, quo non ſolum Iohannes eiusque ſucceſſor Birgerus vſi ſunt, ſed inepte & inſolenter vertere non dubitarunt Swerigeʒ-Förſte, quod ex horum praeſulum litteris, ipſaque adeo poſterioris tumba, in Crypta Templi Lundenſis apparet (e). Sigillo autem hoc Capitulum Lundenſe diu vſum fuiſſe, vsque ad vltimum Epiſcopum Danicum Lundenſem D. Petrum Winſtrupium, immo aliquot annis, poſtquam Prouincia Scaniae Svethico vindicata fuerit imperio, nondum abrogatum teſtantur Litterae, vti vocant, *Scotationis* Kiöpebref fundi aedium, quas iam inhabitat Dominus Praeſes, quibus Sigillum hoc appendet. Verum

(d) Vid. Skrifftteliga Bewis till Biſkops Chrönikan p. 48.
(e) Ill. Hwitfeld. Chron. Ep. p. m. 91. confer. quoque Acta publica in Ioh. Hadorphii andra deel till Rim-Chrönik. p. 117, 124, 139. 135, 308, 386, 387. &c.

rum, quoniam Verba inſcriptionis ſingula mereri videntur ſingularem commentariolum, agedum illa percurramus.

S. Vtrum *Sigillum* vel *Secretum* legas, nihil intereſt, cum hiſce vocibus promiſcue fere vſi ſint medii aeui ſcriptores, qui etiam minora ſigilla dixerunt *Signeta* (f).

CAPITVLI. Capitulum eſt locus, in quem conueniunt Monachi & Canonici, ſic dictum, inquit Papias, quod *Capitula ibi legantur. Capitula librorum dicta, quod breuiter capiant & contineant aliquam ſententiam, ſiue quaſi Caput & titulus maioris ſcripti. Vnde Clericorum Capitulum dictum, quod Capitula ibi exponantur* (g). De prima Collegii Canonicorum Lundenſium fundatione, eiusque incrementis hanc qualemcunque notitiam e *Libro memoriali, codice manuſcripto membranaceo* quondam Eccleſiae Lundenſis nunc Bibliothecae, nec non *Tabulis redituum Capituli*, Lunde Capitels Jordebok, excerptam & collectam ſubnectere lubet; primum inſtituiſſe Canutum IV. ſ. Sanctum vna cum Ricwaldo Epiſcopo ex bonis, quae diploma (h) enumerat (& quam donationem, denuo exacto ſeculo, confirmauit Diploma Canuti VI. ad calcem huius diſſertationis adnexum) X. praebendas, quarum prima erat Praepoſitura, quam deinde lautioribus reditibus beauit Rex Ericus Eyegod ſ. Bonus cognominatus. His binas adieciſſe primum Archiepiſcopum Aſcerum, vnam vero Regem Ericum, cui cognomen *Emune* obtigit, ſed qua nun-

 quam

(f) Vide ſis Caroli du Fresne Gloſſar. ad Scriptores mediae & infimae aetatis T. III. (g) Citante eodem p. 899. T. I. (h) Huius copiam facit Diſſertatio de Tribus monumentis Lundenſ.

quam potitum est Capitulum, vti narrat Illustris Hvitfeldius (i). Eschillum autem Archiepiscopum deinde adhuc tres e bonis suis patrimonialibus fundauisse, multaque alia Canonicis suis contulisse beneficia; inprimis vero in dedicatione Templi huius, ipsis Kalendis Sept. A. MCXLV. facta, aliquot dignitates seu praelaturas instituisse & primum Cantoratum heic ordinasse. Sic tandem Regum, Magnatum, aliorumque pietas & munificentia, immo peruersa non raro religio, bona huius Ecclesiae in tantum adauxit, vt praeter sedis Archiepiscopalis opulentos, peramplos & principe dignos reditus, praeter etiam multos lateque patentes fundos aedibus hisce sacris extruendis & reparandis, vel vti loquuntur istorum temporum documenta, fabricae dicatos, *IV. Praelaturis, XXX. Praebendis, XIV. Mensis & L. Vicariis seu Altaribus* constituendis & sustinendis suffecerint. Huius tam insignis Collegii Priuilegia & immunitates, diplomatibus, quorum omnium apographa sincera & probata nostra Bibliotheca asseruat, postmodum confirmarunt suis, & nouis donationibus adauxerunt Rex Waldemarus MCCXXXII. Christophorus I. MCCLII. Ericus Menwed MCCLXXXVIII. Magnus IV. Suethiae, Noruegiae & Scaniae Rex MCCCXXXII, MCCCXL, MCCCLXIII. Eiusdem Filius Suethiae Rex & Scaniae Dominus, Ericus MCCCLVI. Olauus Rex Daniae & Noruegiae, MCCCLXXXV. Margaretha trium regnorum septentrionalium Regina MCCCXCIV. Ericus Pomeranus MCDIII. Christophorus Bauarus MCDXL. MCDXLIII. Christiernus I. seu Oldenburgicus MCDXLIX. MCDLXVII. MDCLXXIII.

(i) Chronic. Episcop. p. m. 52.

MCDLXXIII. MCDLXXXI. Iohannes MCDLXXXIV, MCDXCI, MCDXCV. MD. Chriſtianus III. R. D. MDXXXVI, MDXXXVIII, MDXLVII. Fridericus II. MDLIX. MDLXXI. MDLXXIII. MDLXXV. Chriſtianus IV. MDXCVI. & Fridericus III. MDCXLVIII. Neque ſua auctoritate & beneficentia Capitulo defuerunt Archiepiſcopi, vti ex Literis Eſchilli MCLVI. Iohannis Brochſtorpii MCDLXXIII. & Birgeri MCDXCIX. nec non ipſo *libro Datico* ſatis manifeſtum erit.

LVNDENSIS. Vrbis noſtrae nomen vario modo apud Auctores terminatum & latinitate donatum legitur, quae varia nomina recenſet B. M. *Andreas Stobaeus* (k). Fuiſſe ab vltimis temporibus, ante Chriſtianiſmum introductum, appellatum *Lunþ* teſtatur inſcriptio Rupis *Runamo* in Blekingia, vbi expreſſis runis *Lunþ* legitur (l). Originem Vocis ita conatur *Hermannus Chytraeus Veianus* explicare: *Lunda nomen ſuum a Londino Anglorum, vt quorundam eſt opinio, non accepit; Sed a voce Lund, lucus; a parte quippe orientali Vrbis, erant Deaſtri Maiorum noſtrorum Thor, Odinus & Frigga, in tribus collocati collibus, in cuius rei memoriam, hodienum Nundinae trium collium Trehögars marknad celebrantur; ob horum Deaſtrorum cultum, frequentiſſima ſemper confluxit hominum multitudo; quibus rebus factum eſt, vt luco exciſo Vrbs eodem loco exaedificata nomen Luci retineret. De Vrbis huius antiquo ſplendore ſequentes habentur rythmi:*



(k) In diſſertat. de Antiqua vrbe Lund. cap. I. §. II.

(l) De hac inſcriptione agit Cl. *Stephanus* in notis ad Saxonem Grammat. p. 21.

*Daa Christus lod sig föde,*
*Stod Lund och Scanör i sin feijerste Gröde.* (m)
*Ante annos multos nascentis tempore Christi,*
*Et Lund & Scanora simul viguere potentes* (n).

Post lucem vero Christianismi introductam, latine dicebatur *Lunda*, quam appellationem nos retinemus. Sic in diplomate dotatorio Canuti IV. legitur *Actum Lundae*, qua terminatione etiam vsus est *Adamus Bremensis* (o). *Saxo Grammaticus Lundiam* scripsit (p), quem imitatus est *Albertus Kranzius* (q). Alias posteris temporibus in casu tertio plurali *Actum Lundis* scribebant. Denique in casu recto *Lundis* inuenimus in ode antiqua monastica *Doct. Martini Borup de primariis Daniae Ciuitatibus Strophe* 2.

*Tace Lundis rusticalis*
*Nisi quid Ecclesia* (r);

Tandem eruditis nonnullis supra vulgus sapere gestientibus, extera & peregrina vrbium antiquarum & celebriorum nomina adoptare & patriae suae oppidis assignare placuit, vt pro *Lunda*, *Lundae*, & *Lundis* iam Londinum ab Anglis mutuatum substituerint. Sic *Malmogiam* a Belgis *Ellebogen* appellatam latine *Anconam Scanorum* ob Littoris se hic inflectentis curuitatem, dictam fuisse, obseruat Proauus meus B. M. *Andreas Stobaeus* (s). Sic

(m) Mscrt. de Antiquitatibus Scanicis; videatur quoque Differt. de Monumentis Lapidariis. (n) Rythmos hos ita latine redditos inuenio in Diff. de Antiqua Vrbe Lund. cap. II. § 1. (o) In Chorographia Scandinauiae p. m. 9. (p) p. m. 205. 227. (q) Vidi Dan. lib. V. cap 4. (r) Erici Pontoppidani Theatrum Daniae veteris & modernae P. I. p. 454. (s) In Diff. de Scania Antiq. p. 22.

Sic vetus oppidum Scaniae Wehe vel Wehöi, dictum fuit Veii, ab vrbe Hetruriae Veiis. Quis vero nomina adeo diuersa moretur, quae vsus introduxit,

*Quem penes arbitrium est & ius & norma loquendi.*

Ad vltimum hoc mutuatum, at longe vsitatissimum nomen, quo Lunda nostra Londinum Scanorum salutari solet, subit mentem Epigramma Episcopi Lundensis D. D. *Petri Winstrupii* Epigr. lib. III. in Londinum Anglorum & Scanorum.

Vrbs est Anglorum, *Londinum*, splendida magna,
Vrbs quoque *Londinum* Danica, parua tamen.
Vt populo sic peccatis est illa referta.
Haec scelerosa minus, nam populosa minus.
Illa timet Nemesin diuinam, Rege perempto;
Hanc sub Rege suo gratia dia manet.
Sunt illic Mercatores Domini, viget illic
*Emporium*: Hic Regis plus valet imperium.
Est Vulgus seu Plebs potior pars illius vrbis,
Sed *Cleri* radiis vrbs micat haecce meris.
Est illic *Thamesis*, totam qui permeat vrbem,
Fons licet haut purus Relligionis ibi.
Limpidus heic Israëlis fons perfluit, heic est
Non *Thamesis*, sed Fons qui mage θαυμάσιος.
Anglica terra suo Londino tota superbit,
Londino paruo Dania magna suo.

ECCLESIAE. Anno MXII. Tempore regis Sven Otthonis f. bifurcatae barbae iacta sunt prima fundamenta

Hypogaei vel Cryptae (t). Structuram Templi Cathedralis postea continuauit Sueno Estrithius nepos prioris (u); licet non desint, qui a Knutone magno id prius factum fuisse contendant (x). Memoriam autem Suenonis magni Regis ad IV. Kalendas Maii celebrant Fasti Necrologici msc. in hunc modum: *Anniuersaria Suenonis Magni, Regis Christianissimi, cuius industria Dania in octo Episcopatus diuisa est. Ipse primus Dalbyensem Ecclesiam aedificauit. Huic nostrae Ecclesiae duos mansus & dimidium dedit. Arnadal vnum, Rutharumi alterum. Torni dimidium.* Hanc Ecclesiae nostrae institutionem anno MLXV. euenisse docet ill. Hwitfeldius (y). Suenonis Magni filius Canutus, Patris insistens vestigiis multo augustiorem coepit moliri basilicam, quam Pater aut Auus fecissent; de quo Canuto ita Cod. mscr. Bibl. Publ. habet: *Canutus Sanctus qui nostram fundauit Ecclesiam MLXXXI.* opusque pertexit & anno MLXXXV. XII. Kal. Iun. regie dotauit; Cuius dotationis Diploma vide sis insertum *Tribus Ant. Mon. Histor. Lundensibus.* Sigillum vero, quo fidem Diplomatis huiusce muniuit, operae pretium duxi heic inserere, cum & ad argumentum nostrum pertinere videatur, & praeterea quasdam res huius dissertationis non nihil illustrare. Ita autem exsculptum Nobilissimo Peringskiöldio debeo (z).

*Sigillum*

(t) Iens Lauritzsen Wolfs Encom. Dan. p. 568. Hwitf. Chr. Episcop p. m. 6. Huius Hypogaei meminit quoque Saxo Gr. lib. X. p. 190. edit. Steph.

(u) Illust. Hwitf. Chron. Ep. p. 49. it. Mess. Scond. ill. Tom. I. p. 88. (x) Illust. Hwitf. Chr. Episc. p. 49.

(y) Chron. Episc. p. m. 48. (z) Swea och Götha Konungars åttar tahl p. 71. adde Hwitfeld. Chron. Episc. p. 49.




*Sigillum est duplici facie conspicuum, quarum una effigiem Regis coronati, in throno sedentis & dextra globum crucigerum sustinentis, exhibet, cum hac in circuitu inscriptione:*

PRESENTI REGEM SIGNO COGNOSCE CNVTONEM.

**In**

*In altera idem Rex coronatus, cataphractus sublimi & generoso caballo insidens, dextra habenas, sinistra falconem gerens repraesentatur, cum hac epigraphe:*




HIC NATVM REGIS MAGNI SVB NOMINE CERNIS.

Corruit autem Opinio Auctoris *Musei Regii Danici* (*a*) qui natum Regis magni diuersum faciat a Knutone, fingens contra omnium historicorum fidem, Knutoni filium nomine Magnum; Cum Magni filium se non vno loco appellitauerit, vt supra indicauimus. Litteras autem dotationis, quae in antiquo Codice membranaceo Bibliothecae Publicae iam exstant, prope finem, vbi, de iuribus, quae sibi Rex reseruauit, agitur, rasas, corruptas & adulteratas esse, patet, cum ex adcuratiori inspectione, tum

(*a*) Part. II. Sect. III. No. 97.

tum collatione cum Apographis, Impresso a *Bartholino* edito (*b*), & Manuscripto, ab *Olauo Baggero* Procuratore Generali Capituli, vidimato siue recognito.

Vlterius Benefactores, opulentiam, Ornamenta, Vicissitudines, & quaeuis alia memorabilia fata nostrae Ecclesiae heic commemorare, operae quidem pretium fore, non multum dubito, siquidem praescripti huic dissertatiunculae angusti hoc paterentur limites. Saltem non possum non heic obseruare, quemadmodum Lundenses, ita etiam Vpsalienses eundem sibi Patronum, Sanctum Laurentium Martyrem elegisse, eidem Ecclesias suas metropolitanas consecrauisse. Notatu etiam dignum est, quod Oppidum *Lunda Ditmarsorum* etiam Templum habebat huic Martyri S. Laurentio dicatum, atque in insignibus vna cum dimidia aquila Cratem (*c*). Quam ob causam vero haec nostra Lundensis Ecclesia Cathedralis cum Monasterio, diuo Martyri Laurentio dicata potissimum apud Auctores audiat; exposuit *B. M. And. Stobaeus; quod diui huius nomine Stipes pro Templo hoc aedificando per Germaniam, Galliam, Angliam & reliquum orbem Christianum colligeretur* (*d*). Denique, vt non solum appareat curiosis, nostram Ecclesiam non suis, si Diis placet, caruisse sanctis mercimoniis (*e*); Verum etiam, vt simul pateat, quanta dignitate ipsa Lunda tunc, eiusque Archiepiscopus fuerit, non ingratum fore antiquitatum studiosis confido, ipsam *Dedicationis*

 *Historiam*,

(*b*) Ad Chron. Archiep. Lundensium Auctore Nicolao Archiep. Lund. (*c*) Vti videre licet in E. I. de Westphalen Mon. Inedit. Cimb. & Megapolitan. T. I. p. 47.
(*d*) In Dissertatione de Fabulis & Mythologia p. 25.
(*e*) De quibus etiam agit Dissert. de tribus Monum. Lund.

*Historiam*, qualem illam conseruat Liber Memorialis seu *Fasti Necrologici Eccl. Lund. mscr.* iam antea citati, ad finem huiusce Schediasmatis integram legere; de eodem actu legi insuper merentur, quae habet *illust. Hwitfeldii Chronicon Episcoporum* (*f*).

DANORVM. Vrbis nostrae antiquitatem, & multis retro seculis ante introductum Christianae Religionis iubar, cum septentrionem totum plus quam Cimmeriae occuparent idololatricae tenebrae, inter praecipuas septentrionis vrbes merito numeratam fuisse, sex diuersis solidissimis argumentis, iisque, quae obiici poterant, dilutis, egregie pro more suo monstrauit B. M. *Andr. Stobaeus* (*g*). Metropolis insuper, & sedis aliquando Regum Daniae dignitatem, Lundae nostrae denegare, esset vim inferre testimonio omni exceptione maiori, nempe Diplomati Canuti VI. quod anno MCLXXXVI. Dom. Incarnat. Canonicis nostris concesserat, vbi expressis verbis haec leguntur: *Cum sederem in solio in ciuitate Lundensium, quae est metropolis Daniae, pro disponendis Prouinciarum negotiis.* Sic etiam in descriptione Encaeniorum Basilicae huius, expresse dicitur Lunda *Metropolis Daniae.* Obiiciat forte aliquis, Metropolim heic sensu sumi Ecclesiastico. Cui autem respondere liceat: notionem metropoleos Ecclesiasticam Politicae natales debere. In sigillo tamen nostro ita intelligi & pro Iurisdictione Ecclesiastica sumi, pluribus infra dicemus. In diplomate haec obstant: Quod solium nominetur; Quod se prouinciarum negotia curaturum Rex polliceatur; Quod nulla fiat mentio Sueonum, cum tamen

(*f*) In vita Eschilli Arch. Lund. p. m. 52. (*g*) In Dissert. de Antiqua Vrbe Lund. Cap. II.

men eo tempore Archiepiſcopus Lundenſis reuera Pontifex Metropolita Suethiae eſſet, id quod Regem haud omiſſurum, ſi ſenſu Eccleſiaſtico ſumſiſſet, admodum veriſimile videtur. *Letra* antiqua illa Regum ſedes (*h*) diruta iacuit. *Axelhuſium*, poſtmodum Hafnia, eo dignitatis nondum euecta fuit, vt ſolio regio digna haberetur (*i*). Tantum itaque abeſt, vt Ioh. Lyſcandro largiar, in ſermone *de Antiquit. Dan.* differenti: *Roſchildia olim vnica imperii Balthici & Danici Metropolis, quae cum ſtarent Vires, Viginti & ſeptem exhibuit Templa auguſtiora & alias opes multas* (*k*), vt potius credam, ex hoc diplomate euinci, Lundam huius dignitatis palmam Roſchildiae facere dubiam. Stant pro Lunda noſtra *Aula Regia* in vrbe (*l*); *Sedilia Regis & Reginae in Templo Cathedrali* (*m*); Tot diuerſa Diplomata Lundis data, coronationes, nuptiae Regales & alia eiusmodi, donec Hafnia Chriſtophori Bauari tempore eo virium ac dignitatis excreuiſſet, quae poſtmodum ſede regia exſultaret (*n*). Quemadmodum itaque ſedis regiae dignitas Lundae noſtrae abiudicari nequit, ſic Roſchildiae quoque ſuus apud nos conſtabit honos; quamdiu negari non poteſt, in vno regno binas aut plures metropoles, aut vrbes regias & primarias ſimul non nunquam exiſtere.

 SWE-

(*h*) Inde Reges Letrenſes apud Meſſenium in Scond. Illuſtr. T. XIII. p. 33. (*i*) Illuſtr. Hwitfeld. in Chron. R. D. paſſim. And. Hoyern Dänem. Geſchichte p. 96. (*k*) citante Erico Pontoppidano in Theatro Daniae veteris & modernae p. 96. (*l*) Illuſt. Hwitfeld. T. I. p. 213. (*m*) Idem p. 245. (*n*) Erici Pontoppidani Theatrum Dan. Vet. & Mod. p. 29.

SWEVORVMQVE. Mos iſtius ſeculi non infrequens erat, Regnis ſeptentrionalibus varias regnorum longius remotorum appellationum formas inducere. Sic obſeruante Reuerendiſſimo *Ep. Erico Benzelio* (*o*), Angli Sueones noſtros *Suauos* appellarunt. Fuiſſe alias noſtrates, *Suiones*, *Suaones*, *Suanones*, *Suecones*, *Sueones*, *Suenones*, *Suanos*, *Suenos*, *Suatenos* dictos, monet idem ille Polyhiſtor (*p*). Sic Daciam pro Dania non raro legimus in Diplomatibus Regiis, ex. gr. Erici Pomerani An. MCDIII. *Ericus DEI gratia Daciae Rex* (*q*). Alias in vetuſtioribus medii aeui actis Noſtrates ſeſe Reges Sueorum appellarunt, vt exempla apud Nobil. Peringſkiöldium docent (*r*). An vero Sueuorum prima Patria fuerit Sueonia? non noſtri fert inſtituti ratio operoſe diſquirere; cui vero volupe fuerit, adeat, quaeſo, ſummum & ingenioſiſſimum Antiquarium *Rudbeckium*, nec vacuus ſine erudita informatione ab eo diſcedet (*s*); ſed Sweuorum, in hoc ſigillo, ſine dubio mentio eſt facta, ad vindicandum ſedi Lundenſi ius aliquod eminens in Archiepiſcopum Vpſalienſem eiusque Dioeceſin, quod pluribus iam infra deducetur.

METROPOLIS ponitur hic pro Metropolitanae, Metropolitana enim dicebatur Eccleſia, quae conſtituta fuit in regni alicuius primaria vrbe; vnde Archiepiſcopi talium locorum, ſibi titulis Metropolitanorum & Primatum abblandiri coeperunt (*t*). Cuius itaque honoris non imme-

(*o*) Notae ad Vaſtov. p. 27. (*p*) Commentarii in Hiſtor. Sueo Goth. mſcr. Lib I. cap. 3. (*q*) Conf. Diarium Vadſtenenſe p. 37. (*r*) In Mon. Vpland p. 164. & ſeq. (*s*) Atlanticae T. I. cap. XXIV. pag. 576. & ſeqq. (*t*) Vide ſis Gloſſarium Caroli du Freſne.

immemor auctor, quisquis ille fuerit, qui sigilli huiusce titulum & epigraphen adornavit. Ea itaque, quae vox Metropolis apud scriptores Ecclesiasticos eius aetatis inferat, leuiter tantummodo attingam, cupidis harum rerum ansam daturus adcuratius inquirendi, in plurima illa, quae si modo temporis angustia, aliaeque mearum rerum rationes id permisissent de *Antiquitate, Eminentia, Suffraganeis & Primatu Archiepiscopatus Lundensis* dici meruissent. *Antequam proprios acceperat Scania Episcopos, praesidebat*, vt loquitur Saxo (*u*), *Scaniae genti religionis priuilegio Roskildensis auctoritas, Wilhelmo vero Roskildensi Episcopo, diuiduum esse sacerdotium coepit. Cuius Scania veluti alteram partem adepta, protinus inter coniuncta admodum oppida nouam muneris potentiam partita est. Nam Lundia Dalbyaque protinus susceptum inter se sacrorum diuisere primatum, geminaque eiusdem dignitatis vsurpatione certarunt. Nam alteri Henricus, Eginus alteri sacerdos accessit.* Haec Episcoporum institutio facta est juxta calculum illustris Hwitfeldii (*x*) Anno MLXV. licet alii MXLVI. ponant (*y*); sub Rege Suenone Estritio, de quo testimonium Codicis Capit. Membr. superius allatum. Henricum vero, an Eginum Lundae nostrae praeficiamus, dissentientibus scriptoribus, quorum alii Saxonem lib. XI. p. 205. ed. Steph. secuti (*z*), Eginum primum Episcopum Lundensem;

L l 3 Alii

(*u*) lib. XI. p. 205. edit. Steph. (*x*) In Chron. Episcop. D. p. m. 6. & 48. (*y*) Vid. Catalogus Praesulum & Pontificum Lundensium in Scania. Schwedische Bibliothec drittes Stück p. 185. (*z*) Magnus Mathiae in Serie Episcop. Lund. p. 14. Hwitfeld. in Chron. Episc. p. 48. I. L. Wolf. Encom. Dan. p. 577.

Alii (a) Adamum Bremensem, Henricum non Dalbyensem, sed Lundensem faciunt; optime nos instruit Codex membranaceus iam antea saepe citatus in Fastis Necrologicis ad XII. Kalend. Sept. vbi haec: *Commemoratio Godeboldi & Bernhardi Episcoporum & Henrici, qui fuit primus nostrae Ecclesiae Episcopus.* Quid de *Godeboldo* & *Bernhardo* his, a quibusdam aliis quoque tanquam Episcopis Scaniae nominatis, sit sentiendum (b)? praeter Adami Bremensis testimonium (c) huiuscemodi: *In eadem regione Sconiae nemo adhuc* (ante Eginonem Dalboiensem & Henricum Lundensem) *Episcopus fuit incardinatus, nisi quod aliis partibus quidam venientes, interdum illam procurabant Dioecesin* (d). Mortuo Ricwalo Eginonis successori & tertio Episcopo Lundensi sufficitur Ascerus filius Suenonis Trugunidis vel Torchilli, vti alias quoque nominatur, procerum Regni Daniae cuiusdam maxime spectabilis & illustris. Licet vero Codex noster membr. hunc Ascerum non vno loco Archiepiscopum appellitet (e); Sunt tamen, qui dubitant, an vnquam fuerit Archiepiscopus (f); Sunt, qui de anno eiusdem Archiepiscopatus mirifice dissentiant (g). De annis vero eiusdem Episcopalis muneris & Archiepiscopalis nec conuenit (h); Interim veritati maxime con-

(a) vid. Schwedische Bibliothec drittes Stück p. 185.
(b) Ibid. p. 184. (c) Chorograph. Scand. a Messenio edit. p. m. 7. (d) Diss. de tribus antiquis monument. Lund. (e) Differt. jam cit. (f) Histor. Eccl. Sueo-Goth. Nob. Oernhielmii Lib. IV. & Ol. Rosenii Tract. Iuris. Publ. de Episcop. Regni Suion. Romano Catholicis p. 23. in notis. (g) Oernhielm. Hist. Eccl. p. 381. seq.
(h) Vid. Cons. Nettelbladt in notis ad Catalog. Praesul. & Pontif. Lund. der Schwed. Bibliot. drittes Stück p. 186.

congruum videtur, illum Anno MLXXXVIII. infulam Episcopalem obtinuisse, sed demum anno MCIII. Archiepiscopali dignitate ornatum fuisse (i). Hoc tamen inter quam plurimos constat, ante hunc, Episcopos Scandinauiae intolerabili Bremensium Antistitum iugo subiectos fuisse. De quo negotio hunc in modum verba facit Ioh. Messenius: *Anno MXCVIII. Ericus Bremense metuens fulmen, illius anteuertit vibrationem ad Romanum appellando Pontificem, illucque profectus, suum excusat facinus; arrogantiae incusat Liemarum & humiliter postulat, vt Dania ab intolerabili Bremensium iugo antistitum tandem liberetur.* Paulo post ad annum MCVI. *Modo etiam,* inquit, *Paschalis II. Romanorum Archimysta tandem assiduis Danorum inclinatus precibus Archipraesulem flagitantium peculiarem, Cardinalem ablegat in Daniam Albericum; Is eo perueniens, Lundiam huic dignitati ceteris regni vrbibus commodiorem deprehendit, ac ipsam proinde Metropolim Daniae constituit dominamque reliquarum VIII. cathedralium Ecclesiarum, primo illi Archiepiscopo Assero deputato; Cui successoribusque quaepiam simul Noruegiae, non Sueciae demandata fertur inspectio ac protectio. Sic Dania & Noruegia peruetustae Hamburgensium ac Bremensium Antistitum subducuntur iurisdictioni* (k). In notando anno vix non credo Messenium halucinatum fuisse, cum melius in Annum MCIII. & proximo sequentem haec quadrent, vt alia monumenta historica testantur. Hanc etiam in Suethiae

(i) Monum. Benzel. p. 81. nec non Chronicon vulgo Er. Pom. adscriptum, cum quibus conferenda sunt, quae habt. Fasti iam antea citati ad diem XIV. ante Kal. Dec.

(k) Scond. Illust. T. I. p. 92. & 93.

thiae Regnum inſpectionem, Aſcero a Meſſenio denegatam, vindicant eidem Saxo (l) & omnes, qui eundem ſequuntur Scriptores Danici, Ioh. Meurſius (m); Hwitfeldius (n), Iens Lauritſ. Wolf (o), Nicolai Arch. Lund. Chronicon E. L. p. 3. *Anno 1104. pallium Aſcero miſſum fuiſſe*, ait, cuius tenor talis fuerit: *Paſchalis Epiſcopus Seruus Seruorum DEI &c. Procurante Illuſtriſſimo Rege Danorum Erico Egoth, Duce Eſtonie & Domino Nordauingiae, Reuerendiſſimo in Chriſto patri ac Domino, Domino Aſcero Lundenſi Archiepiſcopo Sueciae Primati.* Sed neque haec Papae Bulla a cenſura immunis eſt (p). Plura autem qui de prima Lundenſis Archiepiſcopatus inſtitutione ſcire avet, adeat Auctores ſupra citatos. Caeterum, fluctibus ſcriptorum de Primatu Lundenſi in Suethiam diſputantium, non adeo temerarius ſum, vt cymbulam ingenii mei committam. Interim variae afferuntur cauſae inſtituti Primatus Eſchilli, quae videri poſſunt apud Saxonem (q). Meſſenium (r). Benzelium (s). Celſium (t). Wildium (u). Hwitfeldium (x). Roſenium (y). In quo potiſſimum conſtiterit Primatus Lundenſis, adprime nos inſtruunt Bullae Papales Alexandri III. ad primum Archiepiſcopum Vpſalienſem *Stephanum*

(l) Lib. XII. p. m. 227. (m) in Hiſt. Dan. cit. Nobil. Oernhielmio in Hiſt. Eccl. p. 382. (n) in Chron. Ep. p. m. 51.
(o) Encom. Dan. p. 582. (p) Ol. Roſ. Tract. de Epiſ. Suionicis Romano Catholicis p. 23. in notis. (q) Lib. XIV. p. m. 263. (r) Scond. Illuſt. T. II. p. 2. & 3.
(s) Comment. mſcr. de rebus Sueo-Goth. Lib. V. cap. XVII.
(t) Chron. incert. auct. edit. & Illuſtrat. à D. Ol. Celſio p. 17. & ſeqq. (u) Suec. Hiſt. Pragm. Cap. III. Sect. II. §. 21.
(x) Chr. Epiſc. D. p. 51. (y) Tract. Iur. P. de Ep. &c. p. 23.

*phanum*, anno MCLXIII. vbi haec inter alia leguntur: *Statuimus, vt sicut Tu de concessione & mandato nostro consecrationis munus a Venerabili Fratre nostro Lundensi Archiepiscopo* (Eschillo) *suscepisti, ita & successores Tui ab eo & a successoribus suis consecrationem debeant absque vlla contradictione recipere & tanquam proprio Primati obedientiam & reuerentiam exhibere* (z). Innocentii III. ad Archiepiscopum Lundens. *Andream Sunonis* Ao. MCCI. vbi apparet inter alia: *Primatum Lundensibus Sveciae confirmatum fuisse a Praedecessoribus Innocentii, Adriano, Alexandro, Lucio, Vrbano, Clemente & Coelestino; Quorum & praecipue Hadriani IV. vestigiis inhaerens Innocentius constituit, quod Lundensis Archiepiscopus, qui pro tempore fuerit super regnum illud, primatum semper obtineat &c. vt videlicet is, qui per Lundensem Episcopum Metropolitanus in regno Sveciae fuerit institutus, gratiam consecrationis per manum Archiepiscopi Lundensis adeptus, ipsi & Lundensi Ecclesiae, salua fidelitate Romanae Ecclesiae, fidelitatem & obedientiam juramento* (a) *promittat. Pallium sane totaliter consequetur: Nuncius Lundensis Ecclesiae cum nuncio illius Ecclesiae pro impetrando Pallio ad Ecclesiam Romanam accedant, & cum illud a Romano Pontifice impetrauerint ad Lundensem Ecclesiam reportabunt. Lundensis autem Archiepiscopus illud accipiens, Archiepiscopo Sveciae tribuet & fidelitatem & obedientiam Romanae Ecclesiae*

 *jure-*

(z) Bulla haec integra habetur apud Oernhielmium in Hist. Eccl. Suec. G. Lib. IV. c. V. p. m. 482. item Monument. Vpl. Nobil. Dni. Peringsk. p. 164.

(a) Iuramenti huius formula habetur apud Ioh. Messenium Scond. illust. T. XII. p. 79. & 80.

*jurejurando promittet. Metropolitano vero ibi ad honorem DEI & decorem domus suae salutemque fidelium constituto Lundensis Archiepiscopus & dignitate Primatus in perpetuum praesidebit, & ipse obedientiam & reuerentiam ei tanquam suo Primati humiliter exhibere curabit* & reliqua (*b*). Horum ideo Pontificum Romanorum mandata parentes Vpsalienses: Stephanus (*c*) Iohannes I. (*d*) Petrus I. (*e*) Olaus I. Lambatunga (*f*) Valerius (*g*) Olaus II. (*h*) Ierlerus (*i*) Laurentius (*k*) Folcho (*l*) Iacobus (*m*) Magnus (*n*) Olaus sapiens (*o*) *Lundis ferme benedictionem & pallium ex vrbe per nuntios vtriusque Ecclesiae*, vt loquitur Messenius (*p*) *acceptarunt*. Hunc titulum Primatus Sveciae, feruentibus licet de illo quam maxime dissidiis, inter sedem Lundensem & Vpsaliensem, non ipsi Sveciae Reges in literis publicis nostris Archiepiscopis denegarunt, vti jam supra citata Diplomata Magni Erici filii, Smek dicti, ejusque filii Erici satis superque testantur. Male autem &, vt jam antea notauimus, arroganter Archiepiscopi Lundenses se vernacula

(*b*) Vid. Integram Bullam apud Hwitfeldium Chr. R. D. T. I. p. 168. (*c*) Ioh. Peringskiöld. Monum. Ulleraker. p. 129. (*d*) Messen. Scond. ill. Tom. XII. p. 77. (*e*) Monum. Ullerak. p. 130. (*f*) Messen. l. c. item Er. Benzel. Comment. in Hist. Sveo-Goth. mscr. Lib. V. cap. XVII.
(*g*) ibidem. (*h*) ibidem apud Messenium.
(*i*) ibidem apud vtrosque. (*k*) Monum. Ulleraker. p. 134.
(*l*) Messen. Tom. XII. p. 77. Scond. ill. dissentit Reu. Benzelius in Mon. Ecclesiast. p. 200. & 201. item Nob. Peringsk. in Monum. Ullerak. p. 135. (*m*) Monum. Uller. p. 136. (*n*) ibidem p. 138. (*o*) ibid. p. 143. & Scond. ill. Tom. XII. p. 79. (*p*) Scond. ill. T. XII. p. 77.

vernacula lingva Swериges Förster (*q*) appellarunt, quod Sveonibus ansam videretur dedisse, *lento gradu, prudenter tamen colla jugo Lundensium subtrahere*, *quod Vpsalienses aequo animo ferre potuissent*, *nisi & Reges Daniae hoc Lundensium Primatu in Svethiae regnum juris ac praerogotiuae praetextum*, vt disserit Reuerend. Episc. Benzelius (*r*) *quaesiuissent*. Postquam Pontifex Romanus Vpsaliensibus quoque Primatus titulum concesserat, quo, quantum comperi, primus vsus est Anno MCDLXII. Iohannes VI. de Salestad, (*s*) & licet nihilominus Lundenses diu postea vano hoc titulo sese titillarint, nimirum Iohannes Brochstorpius & Birgerus, obseruat Messenius: *Ob excussum iugum Lundensium, in sempiternam tanti beneficii memoriam, toto Svecorum imperio, quartam natiuitatis & resurrectionis Dominicae ac destinati cælitus Paracleti feriam aequali cum prima celebrari annuatim festiuitate, praeter aliarum consvetudinem Gentium* (*t*). Quod ad suffraganeos huius Primatus attinet; sciendum prius est, suffraganeos eosdem dici; *Qui aut Metropolitano subiecti sunt; aut a Metropolitano ad Synodum vocati, suffragii ius habent; aut quia absque Metropolitano consecrari nequeunt; aut Metropolitanorum Coadiutores in consecrandis Episcopis, quod soli facere nou possunt Metropolitani* (*u*). Praeter perpetuos igitur illos Metropolitano Lundensi subiectos *Roschildenses*, *Slesuicenses*, *Ottonienses*, *Ripenses*, *Arhusienses*, *Viborgenses*,



(*q*) Messen. Tom. II. p. 4. item Hwitf. Chr. Regn. D. T. I. p. 168. (*r*) in Monum. Eccl. p. 202. (*s*) vid. Ol. Celsii Not. ad Chron. incerti auct. p. 23. (*t*) Scond. Ill. Tom. II. p. 84. (*u*) Caroli du Fresne Glossar. lat. mediae & infimae aetatis Tit. suffrag. T. III.

*ses*, *Borglumenses* (*x*), inuenimus etiam *Reualienses*, *Dorpatenses*, *Curlandos*, aliquando Archiepiſcopo Lundenſi vt Metropolitae paruiſſe (*y*). Sic magnae illi ſynodo, quam Lundae noſtrae celebrauit Eſchillus Archiepiſcopus Anno MCXL. Sveciae, Daniae & Noruegiae Epiſcopi interfuerunt (*z*). Quinam Eſchillo huic templum cathedrale conſecranti adſtiterint, apparet apud Hwitfeldium (a); nec non in Dedicationis hiſtoria ad calcem addita. Stephanus vero primus Archiepiſcopus Vpſalienſis & Helgo Opſloenſis in conſecratione & translatione Canuti Ducis Sleſvicenſis & Obotritorum Regis, Ringſtadii Anno MCLXX. die XXV. Iun. eidem Eſchillo adfuiſſe quoque dicuntur (b). Quid de ſede Wexionenſi ſit ſentiendum, & num ſibi illam, tanquam obſequendi iure, reddi obnoxiam allaborarit Praeſul Lundenſis; videantur Nobiliſſ. Oernhielm (c) & Reverendiſſ. Epiſcopus Doct. Er. Benzelius (d). Anno MCCCXV. Magnus Vexionenſis Epiſcopus apud Meſſenium (e) *notum facit & teſtatur: quod praeſentialiter adſtiterit Lundis, conſecrationi & confirmationi Olai Vpſalienſis in Archiepiſcopum ab Esgero Lundenſi conſecrati.* Id autem veriſſimum eſt, in bulla Alexandri III. ſuperius citata, ubi enumerantur ſuffraganei Archiepiſcopi Vpſalienſis, omnino deſiderari Praeſulem Vexionenſem. Haec omnia, vt ſpero ſatis produnt quid METROPOLIS in Sigillo inuoluat.

Tab.

(*x*) Ill. Hwitf. Chron. Epiſcop. Dan. p. 6. (*y*) Eiusd. Chr. R D. T. I. p. 185. 207. & alibi. (*z*) Eiusd. Chr. Ep. D. p. 52. (a) Ibidem. (b) Ibidem p. 55. (c) Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. cap. V. p. 490. (d) Mon. Benzel. p. 191. & 192. (e) Scond. Illuſt. Tom. XII. p. 79.

Tab. XIV. Fig. 2. Sigillum fiftit maius, quo nunc vtitur facrum Synedrium Lundenfe, cuius haec fit defcriptio: *Crates circulo concinne elaborato inclufa cum epigraphe :* CONSISTORIVM. ECCLESIASTCVM. LVNDENSE.

Huius aetatem non afcendere crediderim fupra fundationem Vniuerfitatis Carolinae, quae in locum Capituli Anno MDCLXVIII. fucceffit (f). Nam ab illo minori, quo antea vfum eft Collegium Canonicorum, nifi fola hac infcriptione: S. CAPITVLI LVNDENSIS parum differt. Hoc autem *fuum vidi*, ad apographa Priuilegiorum Capituli Lundenfis, confirmauit Olauus Baggerus, tunc Procurator Generalis Capituli, deinde Rector huius Vniuerfitatis Magnificus primus & Theol. Profeffor. Minus vero Sigillum Confiftorii hodiernum repraefentat Flammas hominem quendam crati iniectum depafcentes, quem diuum effe Laurentium Literae minufculae *S. Laurent.* indicant. Epigraphe talis eft SIGIL ∴ CONS ∴ ECCL ∴ LVND ∴

Fig. 3. eiusdem tabulae, adhuc aliud ad Confiftorium Ecclefiafticum pertinens Sigillum adumbrat, id quo *Diuus Chriftophorus pedes fluctibus immerfus, humero Chriftum, manu integram arborem, frondentem, radicibus euulfam geftans; qua fe tanquam baculo fulcit, confpicitur cum tali infcriptione :* SIGILLVM. SINODALE. PREPOSITORVM. SCANIAE. Huic infignem aliquam aetatem Sigillo adfcribere, eo minus licet, cum acta facri huius Confeffus infpicere non vacauerit; e charagmate tamen probabilem facio coniecturam, illud

 vix

(f) vid. Regiae Acad. Lund. Hiftoria a prima eius aetate D. D. a Döbeln.

vix Sigillum Consistorii iam descriptum antiquitate insigni excedere. Quid causae vero subsit, cur Praepositorum Scaniae Sigillo Symbolum Christophori sit insertum, is optime nouit, qui quanta cura & animi robore hoc munus sit administrandum pensitauerit. Figuram S. Christophori hoc modo explicat Moreri (g): *L'Histoire est que Saint Christophle etoit grand, & qu'allant ordinairement avec un baton, il convertit plusieurs Infideles, á la vüe de ce baton, qui reverdit & porta des feuilles & des fleurs. Le Symbole est, qu'il a marché á pas de Geant dans la predication de l'Evangile; qu'il à porté IEsus Christ dans les pais infideles parmi les Tempetes et les flots des persecutions, et que sa fermeté representée par son baton n'a jamais perdu sa vigueur &c.*

Figur. 4. Eiusdem quoque Tabulae sistitur: *Frontispicium occidentale Templi Cathedralis S. Laurentii, duabus turribus conspicuum, quarum tamen & altitudo & figura non parum ab hodierna differt, superius apparet scriptum LVND, inferius 1615.*

Hunc typum Lapidi arenario insculptum & in campis suburbanis extra portam borealem inuentum Museum Stobaeanum asseruat. Verisimile equidem est tale tunc temporis Ciuitatis nostrae fuisse Sigillum, quanquam magnopere differt hoc ab illo, quo nunc Magistratus vrbis vtitur; *in illo enim tres turres muro junctae, quarum media sub qua porta patet, reliquis duabus maior est & excelsior, conspiciuntur cum hac epigraphe: SECRETVM: CIVITATIS: LVNDENSIVM: 1646.* Hanc vero dissimilitudinem prioris ac posterioris Sigilli, vix non opinor incuriae & lubidini sculptoris acceptam esse

(g) Le Grand Dictionaire Histor. &c. Tit. St. Christophle.

esse referendam, cum sic nostrum cum permultis oppidorum aliorum Sigillis apprime conueniat. Quod vero diuersa Templi Cathedralis structura ab hodierna in lapide isto exhibeatur, vbi geminae humiliores turres non tam mutationi alicui, cui occasionem praebere potuit reaedificatio, post magna illa incendia, quae diuersis temporibus maximam vrbi nostrae cladem induxerunt, adscribere sustineo. Quamuis enim tot clades & ruinae antiquae huius vrbis fuerint, vt illa facile quis enumerare nequeat, cum fatale videatur, vt quotannis fere furat immissis Vulcanus habenis. Tristissima tamen illa videntur incendia, quae apud auctores commemorantur; *Chronologia Vetus* haec habet: MCCXXXIV. *Lundis combusta* (h), de quibus etiam videantur Ill. Hwitfeldius (i). Messenius (k). *Andreas Stobaeus* (l). Cum tamen nulla antiquitatis monumenta, quantum quidem adhuc pernoscere licuit, excelsas adeo turres, quales hodie habent hae aedes Sacrae, commemorent; cuilibet autem consideranti facile pateat, dimidiam superioremque harum turrium partem esse alius atque recentioris operis; crediderim potius templum hoc, hanc induisse faciem sub magna illa reparatione, quae aliquot post initium Seculi XVI. annis dirigente *Adam van Duren* coepta fuit & peracta.

Cum porro Titulus Sigillorum Lundensium recensionem promittat, & ne videar nimis in seruandis promissis Lectoribus meis defuisse, iam quoque Almae Vniuersitatis Carolinae eiusque Facultatum Sigilla mihi sunt adum-

(h) Monum. Benzel. p. 16. (i) Chr. R. Dan. T. I. p. 199.
(k) Scond. Illust. Tom. II. p. 10. 30. 64. (l) In Dissert. de antiqua vrbe Lund. cap. I. §. XI.

adumbranda; in hisce tamen cum nec antiqua sint nec adeo ignota, breuitati forte non ingratae inprimis studere mihi licet. Sit itaque primo descriptio Sigilli ipsius *Academiae* talis:

*Leo coronatus, pauimento incubans tessellato, dextro pede gladium strictum gerens, sinistro librum apertum attrectans, cum lemmate: AD VTRVMQVE. Tres vero pone ceruicem iubatam Coronae conspiciuntur, quae omnia Circulus ambit, cum hac inscriptione: SIGILLVM. VNIVESITATIS. GOTHORVM. CAROLINAE.*

Minus Academiae Sigillum magnitudine tantum ab hoc differt.

Maxime Venerandam *Facultatem Theologicam* alio vti Sigillo, quam maiori Consistorii Ecclesiastici, nondum comperi.

Sigillum Consultissimae *Facultatis Iuridicae*, *Leonem erectum, dextro vngue gladium euaginatum, sinistro libram ostendentem cum lemmate: SVVM CVIQVE, talique inscriptione: SIGILLVM. FACVLTATIS. IVRIDICAE. IN. ACAD. GOTH. CAROLINA. repraesentat.*

Experientissimae *Facultatis Medicae* Sigillum historiam exhibet ex *A. Gellii noctibus atticis lib. V. cap. 14. de Androclo leonis Medico pedem grati hospitis spina liberante & curante, addito lemmate in basi: DEVS CREAVIT MEDICVM. & inscriptione: SIGILLVM FACVLTATIS MEDICAE.*

Celeberrimae *Facultacis Philosophicae* Sigillum: *Leo erectus Rhombum vel speculum manui fulgur trisulcum e nubibus ostentanti obuertens, cum epigraphe: SIGILLVM. FACVLTATIS. PHILOSOPHICAE.*

Vltimo

Vltimo tandem vnicum adhuc Lundenſe, quod reſtat, addam. Fuiſſe olim in ſanctorum memoriam piam & ſodalium adiutorium mutuum, Fraternitates & ſodalitia quam plurima inſtituta, quae lingua Danorum dicebantur Gilde & loca vel hypocauſta, vbi tales agitabantur conuentus Fratrum, Gildeſtuer, ſatis equidem notum reor (m). Talia heic in Scania inprimis celebrata ſunt illa ſancti Canuti conuiuia Knuts Gilde. Occiſo enim Cnutone quarto anno MLXXXVII. Ottoniae (n) inque numerum ſanctorum an. MC. relato (o). Protomartyris huius Regis memoriam ſodalitiis eiusmodi inſtitutis recolere voluerunt maiores noſtri. Sic *Ottoniae* & *Ripae* Danorum ſatis celebria fuerunt Conuiuia Sancti Canuti. Scaniae noſtrae oppidis plerisque ſua neque defuerunt. ex. gr. *Scanorae* cuius Conuiuii Statuta anno MCCLVI. ſcripta leguntur. Quod Conuiuium licet hodie amplius non ſit, ſed pridem ibi deſierit & Malmogiam deductum putetur, proprium cum ſtatutis habuiſſe Sigillum, admodum veriſimile videtur; vt mirer Illuſtriſſ. Hwitfeldium dicere potuiſſe, Petrum Pagh Epiſcopum Ottoniae circa annum MCCCXXXIX. imaginem S. Canuti primo in Sigillo ſuo tuliſſe, cum rythmo monaſtico:

*Rex Canute DEI, quaeſo memento mei* (p)

Fraternitas illa Malmogienſis, vt nunc frequentiſſima, ita glorioſiſſima, quippe quae non modo multos primarios regni ciues vtriusque ſexus, verum etiam Reges & Reginas in Fraternitate ſua numerat. Sua quo-



(m) Conf. Muſeum Reg. Dan. Part. II. Sect. III. no. 97.
(n) Hwitf. Chr. D. T. I. p. 91. (o) Eiusdem Chr. Epiſc. p. 37. (p) Chron. Epiſc. Dan. p. m. 40.

que ſtatuta & priuilegia haec habet, nec Sigillo caret proprio, in quo conſpicitur: *Rex coronatus ſolio inſidens regio, dextra ſceptrum liligerum, ſiniſtra globum crucigerum gerens, Luna & aſtro ſeu Sole vtrumque latus affulgentibus, cum epigraphe monaſtica:* S. CONVIVII: SANCTI KANVTI DE: MALMOEHE; *Eyſtadium* & *Coronia* ſua quoque habent conuiuia. Epigraphe Sigilli Conuiuii Coronienſis ita in *Muſeo Regio Danico* legitur SIGILLVM: FRATERNITATIS: SANCTI: CANVTI: LANDESCRONE: IN SCANIA (q)

En vero Tibi, Lector, quo hodierna Fraternitas Lundenſis vtitur, Sigillum. Hoc vti ex typo patet parum vel nihil differt ab illo Sigilli Malmogienſis, niſi ruditate cum operis, tum inſcriptionis, quae monaſticis elementis exarata in circuitu talis eſt:

SIGILLVM: CONVIVII: SCE: KANVTE: IN: TVMATHORP: Ex ignorantia latinitatis illius, qui inſcriptionem adornauit, ex cælatoris in deſignandis figuris arte prorſus agreſti & rudi; ex loco denique ibidem nominato, ſatis euidens erit, hoc Sigillum



gillum ad barbara monachorum tempora & ſeculum forte XV. referendum eſſe. *Tumathorp* vero idem eſſe, quod apud Hwitfeldium (r) Tomerup, quem nunc pagum non longe ab vrbe Cimbrishamn Nomarchiae Jåreſtad, Parochiae Gladſax, Ciuitatem quondam fuiſſe, ex loco citato Hwitfeldii liquet; Monaſterium etiam habuiſſe Ciſtercienſium Ordinis Benedictini, Meſſenius (s) docet. iure autem Ciuitatis amiſſo, exiſtimarim hoc Conuiuii in Tumathorp Sigillum poſtmodum eſſe Lundam deductum, Conuiuiumque noſtrum vſum pro ſuo; quo demum vero tempore id ſit factum, nec exquirere potui, nec operae pretium duxi. Habet Fraternitas Lundenſis ſua ſtatuta, fundos & praerogatiuas, documenta vero antiquiſſima, bello Scanico inter Reges Sveciae Carolum XI. & Danorum Chriſtianum V. furente, dicuntur ablata & diſtracta eſſe, & forte etiam tum Sigillum genuinum. Quae ſi etiamnum haberentur, dubiam fortaſſis aetatis palmam caeteris Scaniae Conuiuiis faceret noſtrum. Cum vero iam ſuperius dictum ſit, Fraternitates eiusmodi ad recolendam piam Sancti Canuti memoriam eſſe inſtituta; quaerere lubet: Num vrbs aliqua Scaniae de pluribus ſibi a Rege hoc ſancto collatis beneficiis gratulari potuerit, adeoque maiorem recolendae memoriae eiusdem habuerit cauſam quam Lunda noſtra? Quid? quod vrbs noſtra Scaniae antiquiſſima, & Daniae quondam Metropolis, vt opibus florentiſſima, ita in cultum Sanctorum maxime prona, ſancti Canuti Benefactoris ſui liberaliſſimi non videtur oblita.



(q) Part. II. Sect. III. n. 97. (r) Chron. Epiſcop. D. p. m. 48.
(s) Scond. Ill. T. IX. lib. V. p. 80.

lita. Paucissima verba heic adiicere lubet de astro illo seu sole atque luna, quae comparent cum in Mamogiensi tum in Tumathorpensi Sigillo S. Canuti, atque saepius in numis nostris; Aut illa meri lusus calcographorum dicenda, aut iisdem hieroglyphici quid inesse crediderim; vel enim significant beatum hunc martyrem iam aeterno frui consortio coelitum, & solem lunamque sanctitatis suae splendore longe superare; vel vt symbola Ecclesiae huius Metropolitanae posita, respicere notam illam fabulam Vulgi de Sancto nostro Laurentio, solem & lunam mercedis loco Giganti *Fin* pro structura Templi Cathedralis paciscente. Fabulam enarrat Jens Lauritzen *Wolf* (t). Sensum vero eiusdem ingeniose pro more eruit Prof. *Andreas Stobaeus* (u).

Praeterea Lundae nostrae vigens hodienum Fraternitas *Beatae Mariae Virgini S. Laurentio & S. Brigittae* dicata, quae vulgo iam Galte Gillet appellari solet, Fratresque Galte vel Kalendae Bröder, proprium etiam suum habuit Sigillum, sed quod iam pridem deperditum est. Priuilegia huic Conuiuio data ab Archiepiscopo Birgero adhuc conseruantur. Quod si haec Fraternitas Galte Gillet dicenda; nomen videtur sortita a Praeposito vel membro honoratiori Sodalitii, cui nomen *Galt*; Nomen hoc fuisse Virorum apparet ex Fastis Necrologicis Capituli nostri, hoc modo: *VI. Kal. Iulii Galt Monachus S. Mariae & Petri Lundis* (x). Si Kalende Gillet, forte a Kalendis, quibus fratres olim conuenire & genio indulgere solebant. Vellem sane plura de

(t) Encom. Daniae p. 568. (u) In Dissertatione de Fabulis & Mythologia p. 25. (x) Plures obseruationes videsis in Tribus Monumentis Lundensibus.

de hac Fraternitate & hoc ſodalitio Lundenſi, ſi breuitatis propoſitae Limites tranſilire liceret, diſſerere. Optime tamen Plur. Reuer. Dominus *Petrus Sonberg* ad Sacras aedes S. Laurentii, nec non Hoſpitale Spiritus Sancti, quod olim D. Georgio dicatum erat, V. D. Miniſter Vigilantiſſimus, ſodalitii huius Procurator ſpectatae fidei & ſolertiae, vt antiquarum rerum ſtudioſiſſimus, ita & optime gnarus, pro ſumma qua eſt humanitate cupidos harum rerum facile inſtruet; cui etiam, ingenue fatemur, nos debere, quae heic de hoc ſodalitio commemorauimus.

*Dedicatio Eccleſiae Lundenſis e codice membranaceo Bibliothecae Publicae.*

*Anno ab incarnatione Domini M. C. XL. V. Indictione VIII. dedicata eſt maior Eccleſia in ciuitate Lundenſi, quae eſt metropolis Daniae in Kalendis ſeptembribus a venerabili ESCHILO Danorum Archyepiſcopo, asſtantibus ſimul & auxiliantibus Herimanno Slesvicenſi, Gislone Oeſtgociae, Oethgrimo Weſtgociae Epiſcopis in honore beatae MARIAE perpetuae virginis & ſancti LAVRENTII eximii Martyris. Ipſe enim praefatus pontifex per ſe ipſum maius altare dedicauit & Sanctorum reliquiis, quorum nomina infra ſcripta ſunt, decorauit. In primis de ligno dni. De capillis & veſtimento matris dni. De capite ſci. Johannis baptiſtae. De barba Petri Apoſtoli. De ſanguine S. Pauli Apli. Reliquiae Sci. Iacobi Apl. Iohannis Apli & Euangeliſtae. Thomae Apli. Iacobi fratris dni. Philippi Apli. Bartholomaei Apli. Mathei euang. Tadei Apli. Mathiae Apli. Barnabae Apli. Reliquiae ſci. LAVRENTII Martyris & de carbonibus eius. Stephani Papae & MR. Calixti pp. & MR. Pontiani pp. & MR. Fabiani pp. & MR. Dioniſii ep. & MR. Sebaſtiani MR. Victoris MR. Pantaleonis MR. Quintini MR. Romani MR. Ypoliti MR. Agapeti MR. Nicomedis MR. Ceſarii MR. Iuſtini pueri &*

*MR. Christophori MR. Marcelliani MR. Cyriaci MR. Cassiani MR. Albini MR. Smaragdi MR. Theodori MR. Zenonis MR. Marciani MR. Oswaldi Regis & MR. Nigri MR. Felicis in Pineis. Iohannis & Pauli martyrum. Marcellini & Petri MRM. Geruasii & Prothasii MRM. Nerei & Achillei MRM. Thebeorum MRM. Cosmae & Damiani MRM. Siluestri pp. & confessoris. Leonis pp. & conf. Damasi pp. & conf. Paulini epi. & confess. Hilarii epi. & conf. Augustini epi. & conf. Seueri conf. Alexii confess. Benedicti abbatis. De pollice Scae. Agnetie MR. De femore Scae. Eutropiae MR. Ceciliae MR. Agathae MR. Iulianae MR. Scae. Afrae MR. Margaretae Virginis. Christinae Virg. Sanctarum XI. milia Virginum.*

*Altare autem dextrum in eadem ecclesia dedicavit Dominus Gislo Liungacopensis (Oestgociae) episcopus eodem die & anno in honore sanctorum martirum Vincentii & Albani, inpositis eorum reliquiis & aliorum sanctorum, quorum haec sunt nomina. De sanguine sancti Vincentii MR. Reliquiae sancti Albani MR. De sanguine sci. Leodegarii MR. Lamberti epi. & MR. Pancratii MR. Kiliani MR. Rufi MR. Mauritii MR. Quadraginta MRM. Crisanti MR. Birgini epi. & conf. Barbarae Virginis. Feliculae Virgir. Dariae Virg. Walburgae Virg. Nimphae Virg. & MR.*

*Anno incarnationis dominicae M.C.XL.VI. Indictione VIII, in Kal. Sept. dedicatum est altare sinistrum eiusdem Ecclesiae a venerabili Eschillo Lundensi Archiepiscopo. In honore sci. Stephani protomartiris & sci. Mauricii MR. Continentur in eo reliquiae sanctorum, quorum infra nomina scripta sunt. De capite sci. Stephani protomartiris & de sanguine eius. Reliquiae sci. Mauritii MR. De gutture Sci. Candidi MR. Sci. Victoris MR. De capite Sci. Vitalis MR. Domini MR. De digito Sci. Gregorii MR. Foilani MR. Bonifacii Archiepiscopi & MR. Alexandri, Euentii & Theodoli MRM. Sanctorum Maurorum MRM. Gordiani & Epimachi MRM. Sulpicii & Seruiliani MRM. Sanctor. Ewaldorum MRM. Sci. Godehardi epi. & conf. Sci. Odolfi confessoris Scae. Etheldridae Virginis.*

Diploma

Diploma Canuti VI. quo Priuilegia Collegii Canonicorum Lundensium confirmauit Anno MCLXXXVI. ex apographo per Doct. & Procancellarium Bernhardum Oelreich & M. Olauum Baggerum Rectorem Acad. Lundensis vidimato.

IN NOMINE S. SANCTAE ET INDIVIDVAE TRINITATIS. Ego Canutus Regis Waldemari Filius *per DEI GRATIAM & dispositionem Regni Danorum Monarchiam tenens, cum sederem in solio, in ciuitate Lundensium, quae est Metropolis Daniae, pro disponendis prouinciarum negotiis, intellexi & cognoui bonum esse, & Ecclesiasticis vtilitatibus necessarium, ad cautelam futurorum, praedia DEO collata & annuales census atque possessiones Regia munificentia donatas a Nostris Antecessoribus, Regia tuitione muniri & munitione tueri: vt nostra quoque confirmatione & testimonio suscipiant firmitatem perpetuam, quae per Reges gloriosos Antecessores Nostros legitimam & irrefragabilem secundum leges Regni susceperunt donationem. Sanctae igitur memoriae Rex Canutus, cuius Venerandis reliquiis Feonensis Ecclesia, immo totius Regni Danorum decoratur amplitudo. In ciuitate praedicta, DEO & sancto* MARTYRI LAVRENTIO *Monasterium instituit, praedia & possessiones donauit, donata Regali Authoritate roborauit,* Rex *donans praepositur am & nouem sacerdotales Praebendas cum Scholarum beneficio instituit. Item de annuali censu eiusdem ciuitatis, qui ex antiqua consuetudine pro areis dari solet XXVII. marcas in dotem & desponsale Ecclesiae praememoratae singulis annis perdonauit, & in die dedicationis coram multis & memorandis testibus Episcopis & Presbyteris illius temporis Ducibus, stabulariis & multis Nobilibus diuersae aetatis ac ordinis ratum esse, DEO Praeside aeternaliter stabiliuit. Praeterea de omnibus terris, quas DEO &* GLORIOSO MARTYRI LAVRENTIO *dedit, omnem iustitiam* Re*giam Fratribus inibi pro tempore famulantibus perpetim annuit. Ita vt in potestate sit Praepositi, caeterorumque fratrum quicquid causae emerserit, tribus duntaxat exceptis, h. e. Si quis* Colc-

*Colonorum extra pacem positus fuerit, pacem a* Rege *redimat, substantiam eius Praepositus & Fratres tollant. Equos rhedarios non dent, nisi quum* Rex *ipse venerit: Nos itaque in reddenda DEO gratiarum actione, eiusque Genetrici* Mariae *intemeratae Virgini, quorum gratia & meritis nos etiam Thronum Patrum meorum conscendisse credimus & confitemur, has omnes dotationes & causarum prouentus, sicut sanctus ille instituit atque ordinauit, rata & inconuulsa permanere decernimus, atque* Regia *authoritate solidamus. Iuxta hunc quoque Priuilegiorum tenorem quae vel* Reges *Praedecessores nostri vel Pontifices, seu alii boni & fideles Viri, pro sui suorumue felici memoria condiderunt, & aliquas terras ad praedictum locum dederunt, in Nostram suscipimus protectionem, vt sicut iam dictum est, omnis* Regia *iustitia, quae ex causis diuersis prouerire solet, illis tamen quae dicta sunt exceptis, Praeposito & Canonicis attineat. Haec vt rata sint Sigillo nostro chartam hanc signauimus. Ad honorem* REGIS Regum, *qui viuit & gloriatur DEVS benedictus in secula seculorum. Amen.*

*Si quis praepotens Nobilis vel ignobilis natus vel non natus hanc constitutionem vel immutare vel violare, seu funditus in irretum reuocare attentauerit, sit de sorte eorum, qui dixerunt Domino DEO: recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus, sit de parte Dathan & Abiron, sit truci incendio deputatus vbi ab aquis niuium transitur ad calorem nimium.*

*Actum Lundis Anno Dominicae Incarnationis MCLXXXVI. indictione IV. Gloriosissimi Danorum Monarche Canuti Anno III. Absolonis Lundensis Archiepiscopi tertii, Archiepiscopatus Anno VII, Domina Regina Danorum Gertrud consentiente cum illustri Duce Waldemari Regis Fratre & Absalone Archiepiscopo, stabulariis collaudantibus, quorum haec sunt nomina; GVNNI, STRANGI, ROGINCER, EBBI. Presbyteris Capellanis, HOMERO, DVCCONE, NICOLAO.*

(L. S. Pendentis)

# VII.

# MONVMENTA DILVVII VNIVERSALIS EX HISTORIA NATVRALI.

A. 1741.

§. I.

Quam orbis faciem hodie cernimus a mutatione, quae ſub vniuerſali diluuio contigit, originem quam maxime deduxiſſe, quisque facile percipiet, qui ſacras expreſſiones (*a*) & aquae aeſtuantis limitesque ſuos rumpentis effrenam vim & horrendos effectus, cum praeſenti telluris inaequali ac veluti lacerata ſuperficie rite conferre nouerit. Quod ex ruptis abyſſi fontibus proſilientes aquae exteriorem violauerint terram, tuto dicere poſſum, quamuis hypotheſi de fracta huius cruſta, ad mentem Burnetii (*b*), vel Whiſtonis (*c*) & Cluueri (*d*) minus aſſentire queam. Cataractae coeli ruentesque quadraginta dierum denſiſſimi nimbi non potuerunt non eluere & auferre pinguem glebam, quae altiora loca rupesque iuxta ſententiam Bütneri (*e*) tegerit. Sic denudata montium ſaxea ſceleta torquebant & expugnabant praecipites atque rapidiſſimi fluuiorum torrentumque lapſus, quorum aeſtus cum inualeſcentibus alueis mirum quantum creuerat. Imbribus & eruptionibus ſubterraneis, forſitan & terrae motibus comites procellae & turbines, incubuere ſurgenti oceano diluuiali, eiusque ſumma & ima funditus euerterunt & confuderunt. Hunc tandem quindecim cubitos ſuper altisſimos montes fluctuantem ventus dirigebat ad motum

ſolis, vel terrae circa ſolem ſtatus & regularis; Sol enim oriens ſubiiacentem aerem calefaciendo expandebat, adeoque impetu verſus plagam pellebat occidentalem, vtpote frigidiorem (*f*) & nondum ab huius radiis rarefactam, expanſam atque commotam; hinc quoque eſt quod maris periti obſeruauerint, eundem ventum, Eurum puta, in vaſtioribus orbis oceanis eſſe conſtantem (*g*), propius vero continenti & eminentibus locis, vel periodicum vel variabilem & vagum (*h*). Ventus hic in vaſtiſſimo & omnibus ſuis litoribus ſoluto ac libero diluuii pelago immanes ſuſtulit fluctus, inprimis cum dulcior aqua leuitate ſua (*i*) facilius moueretur; non mirum igitur concitatam iam ſtupendae molis aquam ſecundum motus leges vehementiori impetu in obuia quaeuis actam fuiſſe, ſyluas proſtraſſe, easque limo & ſaxis obruiſſe, montes deſtruiſſe priores, & nouos congeſſiſſe: imo quae in ſumma vnda pependit heterogeniorum congeries diſcerpſiſſe, diſperſiſſe, & rurſum alibi congeſſiſſe & coagmentaſſe, cum experientia comprobet, minores inundationes domos, villas & vrbes abſportaſſe, arbores euulſiſſe, rupes & immania ſaxa ad litora volviſſe. Nec dubitandum eſt, motum hunc vehementem ad ipſum fundum penetraſſe, vidimus enim mare procellis agitatum emoueri atque turbulentum fieri, praetereaque hoc demonſtrat continua fretorum ſyrtiumque in abdito gurgite latentium ſatis notabilis variatio & immutatio. Nec absque inſigni rapiditate & violentia credo ſubſediſſe & ad ſua receptacula properaſſe aquarum vortices, quod cum e Phyſicis principiis (*k*), tum ſimilibus naturae ſpectaculis (*l*) concludere licet. Quin quoque ſubſiſtentium aquarum cataractae

taractae per varios anfractus & congestos colles sibi parauerint vias, donec iusto tandem alueo fluere potuissent.

(a) Genes. Cap. VII. v. 11. 17 18. 19. 20. (b) In Theoria Telluris, statuit corticem terrae calore solis hiulcam redditam atque fractam. Lib. I. Cap. 6. (c) Theor. Tell. p. 444. (d) In Geologia Cap. XII. p. 171, nempe quod Cometa terram sub tempore diluuii appropinquante crustam eius fregerit. (e) vide Bütneri Rud. Diluu. Testes §. 45. (f) Christ. Wolfii Gedanken von den Wirkungen der Natur Tom. I. §. 206. (g) vide L'Essai de Physique par P. v. Musschenbroek Cap. XLI. § 1737. & 1738. conf. Tab. XXIX. (h) vide citatam Tabulam & §. 1736. (i) Differentem grauitatem aquae cernere licet in Christ. Wolfii Element. Hydrost. §. 69. (k) conf. L'Essai de Physique par Musschenbr. Cap. XXII. (l) Huius generis exempla extant apub Herbinium de Cataractis inprimis Cap. IX. vbi describit *Charybdim Noruegicam Muskanam.*

## §. II.

Iam quoque inquirendum est: an eiusmodi vestigia, seu certa indicia & monumenta horrendam hanc prioris mundi καταστροφὴν quasi a posteriori comprobantia reuera inueniantur. Quam nunc habitamus terram, non ab omni parte planam & aequalem, sed iam vallibus profundioribus depressam, iam praealtis montium iugis protuberantem, vbique fere cernimus, horum, collium puta & montium species, mire incuruatis dorsis & diuersimode eleuatis culminibus, non tantum ipsius saeuientis horridam oceani imaginem viuido sistunt imitamine (a), verum etiam ex crebris constat obseruationibus (b): quando duo montes sibi inuicem obiiciuntur,

vel (vt ita dicam) per longam feriem fefe concomitantur, quod vallem forment intermediam, diuerfae quidem latitudinis, cuius tamen anfractus & finuata via accurate alternet, ceu artificiofiffimum architecturae militaris opus, nempe quando vnus mons finum facit, mox angulum porrigunt radices oppofiti, mediam vero vallem plerumque fecat riuulus, vel amnis ad dictas curuaturas quodammodo fefe flectens. Inprimis obferuatione digna eft montium ad cardines mundi qualiscunque regularis fitus, fic heic in Suethia plurimi a feptentrione verfus meridiem extenduntur (*c*), nec contrarium eft quod Celeb. Bourguetius (*d*) e frequenti fimul & accurata Alpium contemplatione animaduerit: nempe, quando montium concatenata iuga ab ortu ad occafum tendant, radices illorum lineam faciant borealem & meridionalem plagam quantum fieri poteft fpectantem, vt ipfius verbis me explicem: *Quand la longueur de la montagne forme une ligne parallele à l'Equateur, fes Angles font paralleles au meridien, & lorsque fa longueur forme vne ligne parallele au meridien, fes Angles font paralleles à l'Equateur &c.* Et haec equidem egregie cum iis, quae de fpiranti Euro fubdiluuiali iam dixi, conueniunt. Montes vtplurimum à latiori bafi in dorfum abeunt acutum, quamuis quidam in fummo culmine habeant planitiem, imo fcaturigines, ftagna lacusque pifcofas. Haec laterum decliuitas variat prout diuerfa materia, vnde conftant, aptius cumulari potuit vel fecus, hinc rupes vel faxeos montes praeruptos praecipitesque vidimus; arenaceos vero & cognatos cumulos obliquiores. Nec ab aquis diluuialibus congeftos fuiffe, qui lapidibus rotundioribus, quales aliàs in fluuiorum lacuumque

ripis

ripis atque litoribus reperiuntur, ſtrati ſunt, vllum eſt dubium, cum eosdem olim fluctuum ope agitatos, detritos ac frequenti ad ſeſe inuicem alliſione, torno quaſi, rotundatos fuiſſe, accuratius videntes & examinantes facile perſpiciant. Eundem ortum agnoſcunt, niſi valde fallor, alii, quos ex meris ſaxis cautiumue fragmentis exſtructos miramur; Huius generis obſeruaui ad oram maritimam occidentalem Scaniae, prope Helſingburgum, qui per Hallandiam & forſitan longius verſus ſeptentrionem progrediuntur, a ſaxis tabularum inſtar fiſſis, & ſibi inuicem oblique inhaerentibus atque ſpectaculum concuſſorum murorum exhibentibus conſtructos, qualium montium iuga ad aliquot milliarium longitudinem continuata, raro autem vltra triginta vel quinquaginta paſſus lata perhibet Nobiliſſ. Suedenborg (*e*), qui inſuper ex hydroſtaticis principiis doctè explicat; quomodo oceanus diluuialis tam vaſta pondera prouoluere valuerit. His addam, in multis locis ſuperiorem tantum montis partem fractis & rimis diuiſis rupibus eſſe compoſitam atque in apicibus diſtinctam, cum inferior moles integra ſit & cohaereat (*f*). Nec ſilentio praeterire debeo, quod per regiones à mari remotiſſimas vel ſatis editas diſperſae inueniantur huiusmodi ſaxeae moles ſolitariae, etſi nullus mons in vicinia cernatur (*g*), imo quod prouinciae quaedam loca habeant platearum inſtar lapidibus ſtrata; quin quoque calculi & glarea diuerſi coloris, qui vbique crepidines tegunt huc pertineant; ne quid iam dicam de deſertis Arabiae Lybiaeque arenoſis aeſtuanti vndis mari perſimilibus, nec ſine vitae diſcrimine peruiis, quae quidem omnia ab illuuie hac communi & maxima originem duxiſſe, aliquis non

inepte forte adſtruere poterit; Et quod primo loco erat dicendum, reperiuntur, vt perhibet Bourguetius (*h*), vel in ſummitatibus montium colliumque ſuſpenſae haerentes, vel etiam in campis vi quaſi proiectae iacentes ſtupendae moles ſaxeae, nulla quidem certa & regulari figura praeditae, & quidem interdum rarae & ſolitariae, interdum tanta vi tantoque numero cumulatae, vt miraculoſe nubibus delapſas iurares. Conſtant vero, tum e materia quadam glareoſa ſeu arenaria, illi cognata e qua Syenites, vulgo *Granito*, dictus componi videtur; cum ex alia rupis duriſſimæ ſpecie e lamellis arctiſſime coniunctis & adunatis, *Talci*, vti loquuntur Oryctographi, naturam aemulante. Ceterum hae ingentes ſaxeae moles a ſubiecta maſſa, ſeu fundamentis non modo diuerſae, ſed etiam prorſus diuulſae & diſcretae atque aliis aliae impoſitae laxeque cohaerentes apparent. Porro ſingularia exempla non ſatis mirandam montium ſtructuram a Cataclyſmo illo maximo originem ſuam ducentem comprobantia contemplanda nobis ſiſtunt Autores laudatione noſtra ſuperiores. Sic rupes *Greiffenſteinienſes* (*i*) in aeris fodinis Miſnienſibus, qui veluti turres anguſtiores & pendentes, quaſi ex meris ſibi invicem ſuperimpoſitis tabulis exſtructae videntur. Ita quoque curioſis intuentium oculis mira ſpectacula obiiciunt columnae ſaxeae eiusdem loci, **das Pfeiler-Geſtein des Scheibenbergs** dictae (*k*), inprimis vero rupes *Adersbachenſes* (*l*), quae ſeſe veluti obeliſcos & ruituras turres repraeſentantes, varietate, excelſitate & numero, oculos intuentium iucunde paſcunt. Hiſce addam montem conum conuerſum horrendo adſpectu repraeſentantem, adeoque Gallis inter ſeptem miracula Delphi-

Delphinati numeratum (*m*). Inter rariora Suethiae merito cenſetur mons iſte Weſtro-Gothiae, quem *Kinnekulla* (*n*) vulgo audientem teſtes grauiſſimi & αὐτόπται vt indubium Cataclyſmi opus deſcribunt. Huius commatis quoque, me iudice, habeatur, quem ſingulari admodum, ſed regulari ſtructura, tanquam ex ſuper impoſitis aggeribus gradatim in culmen abeuntem exhibet Olearius (*o*). Neque heic prorſus ſilentio praetereundae ſunt rupes *Chinenſes* ſolitariæ prope *Suyt Jeen* in prouincia *Quantung* obuiae (*p*), quae rotundae & curioſis curuaturis ardua petentes etiam has remotiſſimas regiones communi ſubiiſſe fato contemplatoribus enarrare videntur. Pari modo vt diluuii vehementiſſimi monumenta ſuſpiciunt quidam cautes inclytas *Britannicas* iuxta *Stonhenge* (*q*); nam opinio Keysleri (*r*), quod ſint cippi & vetuſta monumenta ſepulcralia, certe non minoribus premitur difficultatibus; nimirum ſunt ingentes moles ſaxeae, quarum quaedam triginta pedes altae & adeo perturbate poſitae, vt numerari nequeant, in illarum apicibus pendent aliae horizontaliter poſitae & adeo ſtupendae magnitudinis, vt aqua haereat, quomodo illuc peruenerint, niſi in his ac reliquis, quae ſupra recenſuimus montium rupiumque memorabilibus, inundationis illius maximae veſtigia agnoſcere velimus; nec cum vulgo indocto, aut potius doctis vatibus haec Gigantibus adſcribere, quemadmodum Homerus (*s*) narrat Aloidas οὐρανομάχους tentaſſe tres Graeciae montes vnum alteri ſuper imponere

Οἵ ῥα καὶ ἀθανάτοισιν ἀπειλήτην ἐν Ὀλύμπῳ,
Φυλόπιδα στήσειν πολυάϊκος πολέμοιο.
Ὄσσαν ἐπ' Ὀλύμπῳ μέμασαν θέμεν, αὐτὰρ ἐπ' Ὄσσῃ
Πήλιον εἰνοσίφυλλον, ἵν' οὐρανὸς ἀμβατὸς εἴη.

Qui

*Qui ſane immortalibus minabantur in Olympo,*
*Moturos certamen tumultuoſi belli,*
*Oſſan ſuper Olympum conati ſunt imponere: Caeterum Oſſae*
*Peleum frondoſum vt coelis peruium eſſet.*

Quem idem conatum & iisdem ferme verbis narrant Virgilius (*t*), nec non Ouidius (*u*) vbi Gigantomachiam deſcribit.

(*a*) Vide Memoire ſur la Theorie de la Terre par Mr. Bourguet. pag. 196. §. XVII. (*b*) Bourguet. l. c. pag. 195. § XV. (*c*) Nobil. Eman. Suedenborgii Miſcellanea Obſeruata pars I. pag. 7. (*d*) Bourguet. l. c. pag. 181. (*e*) l. c. pag. 6. n. 6. (*f*) Reuer. Fred. Leſſeri Lithotheologie Lib. V. ſect. 2. Cap. I. §. 268. (*g*) vide Sued. Miſc. Obſ. parte I. p. 6 & 7. (*h*) Memoire ſur la Theorie de la Terre pag. 198. §. XXIV. (*i*) v. Bütneri Rud. diluuii teſtes Tab. V. & VI. (*k*) vide Celeb. D. Kundmanni Rariora Nat. & Artis Tab. I. n. 6. (*l*) Kundm. l. c. Tab. I. n. 7. & G. H. Burghardi iter Sabboticum Tab. II. (*m*) v. Berckenmeyeri Antiquarius Cap. IV. pag. 47. edit. Hamb. 1708. (*n*) vid. Nob. Suedenb. tract. om Wattnens Högd och förra Werdens ſtarcka Ebb och Flod, bewis utur Swerige. (*o*) Vide A. Olearii Perſ. Reiſe-Beſchreibung p. 184. (*p*) Vide Tab. I. n. 5. apud Kundm. lib. c. (*q*) vide Tab. n. 5. & pag. 16. lib. cit. Kundm. (*r*) Conf. Keysleri Antiqq. Sept. & Celtic. p. 1. & ſequ. (*s*) In Odyſſea Lib. IX. pag. 156. edit. Baſil. (*t*) Georgic. Lib. I. v. 281. (*u*) Metamorph. Libr. I. v. 152. & 153. Faſtorum Lib. V.

## §. III.

Ipſa interior telluris ſtructura & conſtitutio, non minora, imo omni exceptioni maiora ſubminiſtrant antiquiſſi-

tiquiſſimi diluuii argumenta, vnde certiſſime comprobare licet, priorem orbis ſuperficiem, vtut amoenam, concinnam & fertilem aquis quondam fuiſſe diſruptam, ſubmerſam, miſere deuaſtatam, ſoepius turbatam, huc & illuc exagitatam, atque innumeris modis immutatam, quemadmodum ſcite iudicant Nicolaus Steno (*a*) & Woodwardus (*b*), cum quibus non pauci oculatiores hodierni Phyſici pulcherrime conſentiunt. Ad quamcunque enim profunditatem terrae viſcera penetrare licuit, inuenimus compagem eius magna materiarum diuerſitate, vti humi, terrae, arenae, lapidum, argillarum, mineralium, foſſiliumque, quae aut impreſſa plantarum animaliumque veſtigia exhibent, aut verae eorundem inprimis marinorum exuuiae ſunt, aut certiſſime fuerunt, variis ſpeciebus ita perſtratam, vt vnumquodque harum rerum genus, puluinum, vel corticem conſtituat, cui iterum aliud impoſitum ſit, vt ſic materia per totam terrae cruſtam notabili diuerſitate & parallela quadam ſtructura variet, eodem prorſus modo, ac quem Chymici ſtratum ſuper ſtratum dicunt, vnde etiam nos haſce Magnae Matris tunicas ſtrata ſalutare ſolemus. Haec vero vbique terrarum, ſed cum inſigni diuerſitate inuenimus, quemadmodum in interruptis quorundam montium lateribus, in maris fluuiorumque litoribus & ripis (*c*), in quibusuis fodinis latomiisque luculenter patet, quod apud Nobil. Hierne (*d*), Bütnerum (*e*), Leſſerum (*f*) & plures alios (*g*) latentium terrae viſcerum indagatores curioſos, fuſius annotatum cernere licet, quae mira & multiplex varietas optime teſtatur, quantos inſultus, quantasque mutationes terra fuerit perpeſſa, maris infandi & tunc temporis maxime ſaeuientis, quando

 *Omnia*

*Omnia pontus erant, deerant quoque littora ponto,*

vaſtiſſimis validiſſimisque fluctibus ac rapidiſſimis verticibus tam diu ſubiecta & repetitis vicibus turbata & vexata. Sic quoque ex accuratiori promontoriorum, littorum, riparum & his oppoſitarum inſularum (*h*), nec non ipſius fundi maris ſagaciori perluſtratione (*i*) & eiusdem cum continentis ſtratis collatione, vtrisque communis, aut cognata ſaltem origo, forte non inepte prorſus, aſſignatur. Quod ad ſtratorum ſitum attinet, certiſſimum vtique eſt, illum in diuerſis locis eſſe longe diuerſiſſimum (*k*), ſunt enim quaedam ſtrata plana & ad lineam horizontalem exporrecta, alia inclinata & obliqua, alia incuruata, & iam conuexa iam concaua, alia denique mixta, anguloſa & ſerpentinorum ductuum inſtar ſinuata, quorum exempla iucundo ſpectaculo montes Heluetici in circuitu Vrii lacus (*l*) contemplatori praebent. Quae cum ita ſint, non temere exiſtimamus, quod impetuoſiſſimi torrentes incipientis & increſcentis diluuii in varios cumulos congeſſerint arenam, glaream, ſabulum, limum & quicquid ſecum traxerint vndae, a quo inaequali fundamento, veluti cortices circa nucleum, poſtmodum ſuper fuſa ſtrata flexiones ſuas acceperint. Quid, quod hiſce quoque addi poſſint, quas poſtmodum tellus ſubiuerit mutationes, cum quaedam plana cum ſuis ſtratis ſubſederint, quaedam loca altius ſublata ſint, alia editiora corruerint, qualia in hunc diem contingere phoenomena grauiſſimi commemorant autores (*m*). Exinde quod ipſe aeſtus ſubdiluuialis quos ſemel congeſſerit cumulos rerumque aceruos, poſtea diremerit, aſportauerit & alio loco iterum conuoluerit, inuenimus haud

raro

raro vnius eiusdemque generis ſtrata ſaepius per exiguam interdum diſtantiam in vno loco repetitis vicibus obuia (*n*). E iam dictis, & per interualla vehementius turbato commotoque vaſto gurgite, optime indagatur cauſa, cur ſeries ſtratorum, quemadmodum certae perhibent obſeruationes (*o*) iuxta grauitatis leges non ſemper ſint ordinatae atque diſpoſitae; facto enim quodam ſtrato, nouam materiam aliunde delatam vnda circumuoluit: etenim veriſimile videtur, toties e turbido ſubſediſſe nouum ſtratum, quoties tempeſtates procelloſae, per intercapedines furioſos diluuii aeſtus concitantes, rurſus paululum mulcerentur, vti hoc & alia huc pertinentia vel per experimentis demonſtrauit Nobil. Svedenborg (*p*). Mearum quoque partium eſſe credidi heic meminiſſe earum, quae quidam Phyſici *interſtrata* vocant (*q*), ſeu materiae mediis ſtratis incluſae, ipſo vero ſtrato vel ſpecifice leuiora, vel longe grauiora; ſic in mediis rupibus continentur oleoſa, ſulphurea & bituminoſa, in ſtratis & lapidibus ex arena concretis continentur teſtaceae marinoru mexuuiae, iterum metalla & minerae in ſaxis marmoreis & aliis inuolucris leuioribus, quae omnia vt certos & indubios inundationis confuſae miſtionis effectus, non absque re admiramur. Nec absque ratione plurimas cryptas ſubterraneas montiumque cauernas ſiue ex hiatibus & rimis exſiccatae terrae, ſive ex concuſſorum montium decumanis ruinis concamerata fuerint, diluuii horrendis viribus adſcribimus (*r*); hinc quoque eſt, quod in eiusmodi proſtratas & ſub terra profunde merſas cautes cuniculum claudentes haud raro incidant metallifoſſores (*s*), hoc vero, ceu expertum quid, non adeo magni faciunt, ſeſe perfracta rupe

obiecta mox in priora ſtrata peruenturos gnari atque edocti.

(*a*) In Prodromo de Solido intra Solidum naturaliter contento. (*b*) In ſpecim. Geograph. Phyſicae. (*c*) v. G. A. Helwings Lithograph Angerburg. Cap. I. §. 3. p. 3. (*d*) Andra Flocken, XIV. Frågan om jordenes Floo. (*e*) Rud. diluu. teſtes §. 53. (*f*) Fr. Chriſt. Leſſeri Lithotheologie Lib. 2. ſect. 4. Cap. I. (*g*) vide Bruckmanni Magnalia DEI in Locis ſubterraneis Parte II. p. 680. Mylii memorab. Saxon. ſubterr. Part. I. p. 9. Ioh. Strachey *Deſcription in the Coal-Mines of Mindip in Sommerſetshire.* Eduardi Luidii Ichnograph. Lithoph. Britan. Epiſt III. p. 111. Bernh. Varenii Geograph. General: Le ſpectacle de la Nature Tom. III. Entret. XXI. p 157. 160. nec non varias Relationes Societat. Litterariar. (*h*) Conf. Bourguet Memoire ſur la Theor. de la Terre §. XXXI. p. 202. (*i*) Conf. L'Hiſtoire Phyſique de la Mer, par Mſr. le Comte de Marſigli, Partie premiere du Baſſin. (*k*) Mem. ſur la Theorie de la Terre p. 202. §. XXX. nec non Em. Suedenborgii Miſc. Obſ. Part. I. p. 22. (*l*) Ioh Iac. Scheuchzeri Hiſt. Nat. Helvet. Part. I. §. XXV-XXIX. (*m*) Scheuchz Lib. cit. Part. I. §§. LXXII. & ſeq. conf. Ioh.. Raii Andere Betrachtung Cap. V. (*n*) Haec demonſtrant conchyliorum ſtrata Aquisgrani, vide Suedenborg. l. c. p. 16. (*o*) Suedenb. l. c p. 27-30. Leſſeri Lithoth. §. 125. pag. 166. (*p*) Suedenb. Lib. cit. P. I. pag. 26. & 27. (*q*) Suedenb. l. c. pag. 31. & 32. conf Bourguet. Memoire ſur la Theor. de la Terre §. XXXV. p. 204. (*r*) vid. Bütneri Rud diluu. teſtes §. 54 & 55. conf. Scheuchz. Hiſt. Nat. Helv. §§. XXXVIII. vsque ad LXXII, (*s*) vide Kundmanni Rariora N. & A. p. 12. Sect. I.

§. IV.

## §. IV.

Ex ipſis foſſilibus animalium plantarumque reliquiis vbique terrarum diſperſis, obrutis, atque ſepultis, euidentiſſime ſeſe manifeſtat vniuerſalis illa & maxime horrenda orbis antediluuialis ruina & ſtrages. Haec itaque foſſilia diluuii monumenta cum pro viribus adcuratius rimari operae pretium exiſtimem, a teſtaceis auſpicari opportunum & e re noſtra maxime opinatus ſum, quoniam haec non tantummodo ipſius oceani veſtigia & ſpolia in altiſſimis montibus eorumque ſummis cacuminibus, & adeo locis ſupra mare longe eminentibus & editiſſimis, intra duriſſimas rupes & profunda terrae adyta, optima & certiſſima perhibent teſtimonia, ſed ſtupenda etiam ſua multitudine, ſiquidem haec omnia adcuratius cum iis quae paragraphis praecedentibus ſunt tradita conferantur, inprimis quod ex his ingentes colles, ac integra ſtrata, & quidem per orgyiarum aliquot interſtitia, in vno eodemque loco vel decies repetita occurrant (*a*), diluuium illud maximum horum foſſilium veriſſimam efficaciſſimamque cauſam fuiſſe demonſtrant. Quemadmodum vero huius generis exempla in reliquis notis terrae partibus obuia, Itineraria & Oryctographiae iam non infrequentes exoticae, vna cum Lithographia Svecana ab Archiatro B. M. von Bromel adornata, vberrime ſupeditant; ſic non minus intra dulciſſimae patriae fines ipſi montes praecipue prope Vddeualliam & Strömſtadium, Inſulae Tiornia & Oruſtia (*b*), & paſſim latomiae, praeprimis autem Scaniae noſtrae & Gothlandiae, crebris & quam maxime authenticis teſtibus comprobant, graſſantem immanem diluuii vndam telluri immiſcuiſſe has, ne ipſis quidem pelagicis exceptis, quas

proprio ſuo gremio alias fouere ſolet oceanus familias, & ad ſeram poſteritatem lugubrem ſui memoriam transmiſiſſe. E propiori horum foſſilium contemplatione deprehendimus, non tantum quam confuſe huc & illuc fuerint diſperſa, adeo vt quaedam ſtrata ex vnico fere teſtaceorum genere conſiſtant; quaedam autem, eodem congeſtam & infanda confuſione commiſtam diuerſorum teſtaceorum varietatem admirandam cum aliis corporibus innumeris eiusdem originis oſtentent, & quod inprimis obſeruatione dignum mihi videtur, quaedam integra; ſed longe plura confracta, rupta, & in glaream, aut puluerem ferme comminuta. Denique prout teſtacea haec cum longe diuerſiſſimis materiis, quemadmodum res tum tulit, ſubſederint; a maxima illa aquarum agitatione commiſta atque variis glebae glareaeque generibus referta ac diuerſis inſuper ſalibus ſaturata fuerunt; Et haec quidem nobis genuinam rationem ſuggerere videtur, cur inueniamus petrefacta & foſſilia tam diuerſae naturae, quaedam nimirum ſelenitica, marmorea aut ſilicea, alia metallis, pyrite, vel aliis mineris impraegnata; praeterea plurima quaſi igne toſta, vel vti loquuntur Chymici, calcinata, immo non pauca, quae nullam mutationem notabilem ſubiiſſe, aut e natiua ſua indole recedere videntur; adeo vt adhuc examine chymico eadem phaenomena ac ipſa oſtracodermata marina hodierna exhibeant. Confiteri interim neceſſum habeo, ipſam teſtam ſaepe numero conſumptam atque corroſam deſiderari, ſed cum materia circumfuſa, non minus quam quae fuit infarcta, optime ectypum figuramque verae olim praeſentis teſtae exprimat, nullam equidem rationem ego peruidere poſſum, cur non inter monumenta

teſtacea

testacea aeque ac caetera iam dicta locum quendam teneant, inprimis cum vel ex his inferre liceat; massam hanc, quocunque modo iam induratam, tunc fuisse fluidam, quando has admodum peregrinas, vel repleuerit, vel intra se receperit, exuuias, quarum exacta aut impressa, aut formata simulacra iam miramur atque stupescimus. Haec vero marina tunc in terrae gremium aduentasse, quando ipsi montes, cum subiectis suis diuersis stratis, inter quae quaedam quoque conchyliis repleta inueniuntur, constructi ac variis rebus cumulati fuerunt; a phaenemeno quod vt praecipuum diluuii vniuersalis argumentum suspicit sagacissimus Bourguetius (*c*), nempe, quod vt plurimum eadem prorsus materia infarcta sint testacea fossilia, ac ex qua ipsum stratum vnde eruuntur constet, concludimus. Interim testacea quaecunque Magnae Matris contenta, vera aliquando fuisse marina animalia, quemque veritatis cupidum conuincere posse videntur, praeter iam allata, sequentia ex inspectione plurimorum fideli & adcurata hausta obseruata: Nimirum, praeter praesentem testam ipsa quoque coloris elegantia ab omni temporis iniuria vindicata, non raro nostro sese offert conspectui contemplandam (*d*). Deinde iusta proportio & organismus artifice tanto dignus, tam interior, quam exterior, in minimis aeque ac in maximis adcuratissimus. Heic consideranda quoque venit insignis magnitudinis discrepantia pro ratione graduum aetatis, quam etiam in fundo maris inuenimus. Quid, quod e rugis circinatis quas pro annuis incrementis nonnulli naturae consulti habent, distinctas regiones in hisce testis fossilibus dignoscere liceat; & vt reliquarum partium organicarum manifesta ibidem occurrentia

rentia vestigia recensere breuitatis causa supersedeam, sufficiat forte heic indicasse, quod & concham tuberculis margaritarum rudimentis obsitam & ipsum animalculum, quod olim intra has testulas victitauit, petrefactum e Ditis regno, quamuis talia exempla rariora esse haud negare velim, producere liceat. Inprimis vero omnem dubitationem scrupulumque circa fossilium originem animalem, eliminare & tollere possunt certa & constantia κριτήρια, non solum generica, sed & singularum specierum; ita enim adcurate respondent marinis fossilia, vt quaedam ab illis vix ac ne vix quidem discerni possint. Immo! sedula Physicorum nostrorum per viscera terrae indagine, eo peruentum est, vt per omnes fere classes, quibus disponere solemus conchylia marina, analoga fossilia ostendere liceat (*e*), atque insuper ex his quaedam genera supplere, illorum nimirum, quae in profundissimis oceani gurgitibus degunt latitantque, tandem a posteritate detegenda. Quod si quis specialius haec perlustrare ac cognoscere auet, illum ad Oryctographos & Lithographos, quorum non exiguum numerum curiosum hoc seculum peperit, remitto, cum heic tantum generalia & quaedam nostrae patriae memorabilia commemorare decreuerim. Si multitudinis potissimum sit habenda ratio, primum tenebunt locum, quae vocantur *testacea biualuia*, quae vel integra & ambabus testis cohærentibus, quod quidem rarius contingit; vel a se inuicem separata & singularia, partim quidem integra, sed partim mutulata & fracta, eruuntur. Sunt vero, vel aequalibus, vel inaequalibus testis, vel rugosis & plicatis conspicua, hinc tot *Conchae*, *Chamae*, *Mytuli*, *Tellinae*, *Solenes*, *Pholades*, *Bucarditae*,

*Pectines*

*Pectines* & *Pectunculi*, *Terebratulae*, nec non *Oſtrea* varia plicata, rugoſa, curuiroſtria & alia plura. Ex his vt rariora, nec vbiuis obuia, adnotaſſe iuuat *Concham* foſſilem intrinſecus tuberculis, ſeu immaturis margaritis ornatam, agri ſuburbani Lundenſis. *Pernam marinam* elegantem Littoris Ahuſienſis, cuius teſta cornei coloris, lapidem calcarium ex minutis teſtaceorum fragmentis conſtantem continet. *Numulos Brattensburgenſes*, quos parua oſtrea caluariam vtcunque repraeſentantia, non vero aut patellas, aut cochlearum fuiſſe opercula (*f*), peculiari tractatu demonſtraui (*g*). Neque heic omittendus *Oſtracites* elegans plicatus & in margine dentatus maior, in ſpecu montis Baldi Scaniae atque latomiis Egnabergenſibus non infrequens. Haud inconueniens erit, paucis heic meminiſſe *Conchitae* anomii ſtriis craſſioribus mediocris magnitudinis, quales facile in quatuor partes caprae vngulae ſimiles ſcinduntur, vnde etiam incolis Gotlandiae vbi inueniri ſolent, *Aegopodia* Getefloſwar audiunt. Neque *Vniualuia turbinata*, ſeu in helicem, aut intus latentem, aut extus conſpicuam contorta, apud nos prorſus deſiderantur. Familiam horum ducant merito *Nautilitae*, & his cognata *Cornua Ammonis*, a ſuperſtitioſa antiquitate ſic dicta, quod inuenirentur in arenoſis Lybiae circa inclytum Iouis Ammonis templum (*h*), vnde etiam haec ob qualemcunque tortuoſam cornu arietini figuram, vt ſacratiſſimas gemmas & ipſius huiuſce numinis ſymbola, gentiles venerabantur (*i*), quare cum ipſum Iouem, tum Alexandrum Magnum & Lyſimachum, aliosque Graecorum Reges, qui hoc progenitore ſeſe ortos gloriabantur, huiusmodi cornibus ornatos in ſtatuis, gem-

mis numisque finxerunt antiqui. Haud diffiteor, multum negotii ſcrupuloſis Phyſicis faceſſere haec non tantum admodum frequentia, ſed & figura & magnitudine mirifice diſcrepantia foſſilia, inprimis cum diligentiſſimi conchyliorum collectores, nondum inter marina, huius generis analoga, exceptis exiguis quibusdam, *Poſthornties* Batauis dictas (*k*), inuenerint. Interim ſatis euidens & arcta cum nautilis affinitas, vera teſta nonnunquam reſidua, adcuratiſſimae ad helicem conſtructae concamerationes, ſiphunculi, & plura alia organiſmi documenta certiſſima, in ipſa duriſſimi lapidis ſubſtantia demonſtranda, non immerito alicui forte videntur, cum ad adſtruendam horum originem animalem, tum ad probandum horum ſpecimina aliaque huius commatis foſſilia marinae olim originis, aſſumenda eſſe, vt inde hiſtoriae naturalis quaedam lacunae reſarciantur & ſuppleantur. Huius generis inprimis commemoratione dignum eſt, quod ſub titulo ſerpentis petrefacti Wormius in Muſeo (*l*) deſcripſit & Scaniae acceptum retulit; hoc vero e Latomiis Egnabergenſibus olim prodiiſſe eo certius coniicere liceat, quod non tantum fragmenta horum ibidem ſatis frequentia occurrant, vti ſupra citata diſſertatio teſtatur, verum etiam integrum ſpecimen tale haud ita pridem nactus ſum, raritate, magnitudine, articulorum ſpinaeque ſuturis foliacea ornamenta repraeſentantibus, cimelium maxime conſpicuum. De hac Cornu Ammonis ſpecie obiter heic obſeruandum, eiusdem tam grandia inueniri fragmenta, vt inde facile calculus ſubduci queat, tantae olim fuiſſe molis integram teſtam, vt in ambitu aliquot pedum longitudinem aequaret. Neque alia Cornua Ammonis

monis minora nobis deſunt, quanquam inter rariora foſſilia apud nos ſint cenſenda. Neque reliquis foſſilibus turbinatis prorſus deſtituimur, quae Cochleis tam rotundis, quam oblongis, Neritis, Trochis, Strombis, Turbinibus, Buccinis, Auribus marinis aliisque huius claſſis conchyliis ex amuſſi reſpondent; De qua re, quanquam rarioribus exemplis, curioſos certiores reddent lapicidinae Egnabergenſes & Ferſianae, praecipue vero ripae fluuii Helgae prope littus Ahuſienſe, nec non Gothlandia & mons prope Vddeualliam totus fere teſtaceus; ſed omnia iam inuenta ſpecimina heic recenſere non permittit inſtituti ratio. Quod tandem ad *Vniualuia* ſpeciatim ſic dicta *non turbinata* pertinet, illorum quoque non pauca ſpecimina e Scania ſubterranea in apricum producere licet, ſed inprimis ſpecus Montis Baldi, ſeu Baldii, alias vulgo Foſſa lardi Flåſke-grafwen dicta, paruas quidem ſed elegantiſſimas *Patellas* ſuppeditat; nonnunquam etiam in arenoſis Territorii Gerſiorum campis elegantiora Dentalia ſtriata, Italicis haud inferiora, inueniuntur. Agmen denique teſtaceorum claudant *polyconchae*, ſeu illarum beſtiolarum marinarum, quae non vnica nec duabus tantum, ſed pluribus ſimul teſtis obteguntur, reliquiae foſſiles; *Balanorum* enim *marinorum foſſilium* eo minus nullam heic facere mentionem poſſum, quod ſpecimina eorundem elegantiſſima, quaedam Scandinauiae regiones proferant, apud exteros aut admodum rara, aut vix occurrentia, vti oryctographi teſtantur oculatiſſimi (*m*). Eſt vero Balanus marinus animal exangue marinum teſtaceum, aliorum animalium teſtis, aut aliis rebus marinis innaſcens, e decem teſtis compoſitum, quarum ſex calycem,

quatuor reliquae ipſum Balanum, ſeu eiusdem os conſtituunt. Tales minores in Territorio Montano Scaniae (vulgo Bierge-Hårad) ad pagum lilla Båſtad reperiuntur, quas tamen huc cum lapide calcario Stefnſenſi e Selandia allatos eſſe facile crederem, ſed inprimis frequentes ſunt in monte teſtaceo prope Vddevalliam, cuius mentionem feci, vbi non tantum minores & vulgares Pectinibus inſidentes, verum etiam maiorum plurimae teſtae ſolitariae & ſingulares, quas pro Solenibus biualuibus non nulli habent; verum eſſe teſtas calycum maiorum Balanorum, ſatis ſuperque demonſtrat eiusdem exemplar integrum ibidem repertum, quod cum ſex teſtis, ceu totidem petalis conſtet, & perbelle florem Liliaceum referat, *Tulipam teſtaceam foſſilem* dicere forte licebit. Huius delineationem vid. Tab. XV.

(*a*) Vide ſis Nob. Eman. Suedenb. Miſc. obſeruat. P. I. pag. 16. (*b*) vide Epiſt. Nobiliſſ. Em. Suedenb. ad virum celeberr. Iacobum à Melle, in Actis Litter. Suec. MDCCXXI. pag. 193. (*c*) Memoire ſur la Theor. de la Terre pag. 183. (*d*) vide Kundmanni Rariora Naturae & Artis ſect. I. pag. 59. (*e*) conf. Scheuchzeri Meteorol. & Oryct. Helu. pag. 248. & ſequ. Leſſeri Lithotheol. 5. Lib. 4. ſect. 9. Cap. (*f*) ita vult von Bromel Cap. II. Art. I. §. 3. in Lithogr. Suecana, vide Acta Liter. Suec. MDCCXXIX. pag. 560. (*g*) Diſſert. Epiſt. de Numulo Brattensb. & Cornu Amm. (*h*) vide Solini Polyhiſt. Cap. XXX. (*i*) vide Plinii Hiſt. Natur. L.XXXI. Cap. X. conf. Quint. Curt. de Rebus Geſtis Alex. Magni Lib. IV. Cap. VII. Diod. Sicul. Lib. XVII. p. m. 550. (*k*) vide Rumphii Theſaur. Imag. Tab. XX. n. I. (*l*) Ol. Vormii Muſ. p. 86. (*m*) Sufficiat prouocaſſe ad teſtimonium Celebr. Bayeri in Oryctographia ſua Norica p. 72.

&


Tab. XV.
































& Solertiſſimi foſſilium Britaniae deſcriptoris Eduardi Luidii in Ichnogr. Lith. Brit. Claſ. V. Caſp. XIV. n. 909. cum quibus conferri meretur J. J. Scheuchzeri Oryctograph. Helu. p. 289.

## §. V.

Ne autem quis exiſtimet me ſolum diluuii vniuerſalis teſtes teſtas velle producere; en nobis adſunt alia ex ima tellure eruta animalia eorumque partes, ad omnes fere hiſtoriae animalium claſſes ordinandae. Iam itaque ordinem vulgarem ſequentes, primo eorum faciamus mentionem, quae maximam cum teſtaceis habere cognationem deprehenduntur, *Cruſtaceorum* nimirum, quae nonnulli Naturae conſulti in punctulata ſeu digitata, forcipata & radiata diuidunt. Punctulata nomen hoc, a quinque bis geminatis ordinibus punctorum a vertice ad baſeos centrum excurrentibus, adepta ſunt. Quae, quoniam teſtae ſuae ſphaeroidea figura, lineis, punctis, papillulis, ſuturis, ſulcis, areolis quadratis & hexagonis, ſatis euidentem atque exactam ſimilitudinem cum teſta, ſeu cruſta illius animalis, quod Echinus marinus dicitur, oſtentant; pro vetuſtis nominibus, Ombriae, Brontiae, Notiae, Batrachitae, Chelonitidis, Oui Anguini & quæ forte reliqua ſunt, tantum inueteratam ſuperſtitionem & ſpiſſiſſimas ignorantiae tenebras redolentibus (*a*), cum melius doctis hodiernis naturae Hiſtoriographis, *Echinitas* vocare malumus, praecipue quod non raro in eadem matrice etiam reliquas huius animalis partes, cum internas, tum externas, *radiolos* ſcilicet oblongos & rotundos (*b*), ad quos etiam cucumerinos ſeu lapides Iudaicos refero, granu-

latos, ſtriatos leueſque, ſuis pedunculorum acetabulis, papillulis teſtarum exacte reſpondentibus (*c*); inſuper etiam ipſas *cruſtas* interdum ſatis integras, interdum confractas, interdum vnam alteramue *papillulam*, interdum integras papillarum ſeries & praeterea quoque *oſſa* illa, quae os echini conſtituunt, petrificata & in ſeleniticam ſubſtantiam conuerſa, aut ſaltem harum rerum veſtigia manifeſta & indubia inuenire liceat. (*d*). Et quamuis quosdam valida alliſione & attritione laeuigatos, alios vero violenter compreſſos, diſruptos, fiſſuris rimiſque hiſcentes, mutilatos planeque contritos echinitas deprehendamus; Quamuis etiam habita ratione materiae maxima eorum occurrat diuerſitas, cum alii conſtent lapide corneo, alii gleboſo, alii gypſeo, alii materia cretacea, alii cinerei, alii nigricantes, alii candicantes, alii lutei; Nonnulli fere pellucidi, quamuis plurimi prorſus opaci ſint; In quibuſdam teſta adhuc ſatis integra eaque vel farcta, vel caua & interdum *ſpato* cryſtallino intrinſecus eleganter obſita obſeruetur; in quibuſdam autem & quidem longe pluribus cruſta ipſa deſideretur, vt lapis hic figuratus tantum pro nucleo ex arena, argilla aliaue materia intra illam formato ſit habendus: Nihilominus tamen tam euidentes notas, cum genericas, tum ſpecificas exhibent, vt originem eorum animalem negantes facile conuincere poſſint, niſi aut harum rerum tantum oſcitantes fuerint ac negligentes ſpectatores; aut praeiudiciorum veterno obruti & occaecati, vt verum a falſo diſcernere nequeant; aut denique ingenia ipſorum nunquam non altum quid & ſublime ſpirantia, veritatem ob ſpeciem ſimplicitatis faſtidiant. Quid, quod eadem haec iam commemorata

phaeno-

phaenomena ſatis ſuperque euincere mihi quidem videntur, talium foſſilium generationi & productioni Doridam primo obſtetricatam fuiſſe amaram, atque niſi vnquam exſtitiſſet vnda horrenda diluuialis, quae infandam vniuerſo huic orbi ruinam intulerit, certe neque nunc exiſtere Echinitas, neque reliquum huiuſce commatis apparatum ampliſſimum intra Almae Matris gremium iam reperiri; vt nunc felici ſucceſſu Dom. Kleinius Secretarius Gedanenſis Reipublicae, ex ſuo foſſilium penu hiſtoriam echinorum marinorum ſupplere potuerit (*e*); Nec difficile ſit ſecundum aliorum curioſorum mentem diſponere & diuidere hos in Galeatos, Fibulares, Ouarios, Scutatos, Mammillares, Laticlauios, Cordatos, Cluniculares aliosue (*f*). Nec aliquem offendat, quod echini hi foſſiles fluctibus quondam impetuoſius agitati, immo colliſi, iam digitis aculeisque, quibus alias marini ſunt armati, ſemper fere deſtituantur (*g*), cum vel ipſis e mari nuper extractis aegre diu adhaereant, quin areſacta cruſta tenuia ligamenta marceſcant & mox ipſi etiam, ſiue radii, ſiue digiti, ſoluantur & ſponte ſua decidant. Obſeruatione igitur maxime dignum eſt, in iisdem locis atque materiis, vbi echinitae occurrunt, inueniri quoque illorum ſpinas & aciculas, nempe pro diuerſa circumſtantiarum ratione, vel lapidibus impresſas, vel adhuc iisdem inhaerentes, in lapidis ſplendentis & fragilis genus, quod ſeleniticum Oryctographi dicere ſolent, commutatas; quales etiam ipſas echinitarum adhuc ſuperſtites cruſtas eſſe, vti iam ſupra paucis indicaui, deprehenduntur. Quod ſi iam quoque ad contemplanda foſſilia, quae, cruſtaceis forcipatis, in maxima vniuerſalique iſta animantium clade terra obrutis

rutis atque ſepultis, originem debent, progrediamur; certe non fruſtra apud curioſos Oryctographos inueſtigabimus huc pertinentes *Cancros*, *Aſtacos*, *Squillas*, aliasque huius generis animantium reliquias lapideas & foſſiles, quae vel integri animalis typum exhibent, vel tantummodo eorundem partes & varia fragmenta, vtpote *Aſtacopodia*, *Carcinopodia*, *Serrulas* & alia eiusmodi, quae diligentioribus ſeſe indagatoribus, non tantum in variis regionum exoticarum, ſed & interdum quibusdam noſtrae Scaniae locis, licet rarius, ſiſtunt, quod non ſolum Lundenſe noſtrum, ſed alia plurima Muſea (*h*) confirmant. Horum praecipua operae quidem foret pretium heic nominaſſe exempla, ſed cum breuitatis ſtudium anguſtia temporis imperet, iuuat quaedam tamen, tanquam praecipua & maxime memorabilia paucis verbis commemoraſſe. Huius itaque cenſus ſuo iure erit *Cancellus* Indicus, Cochleae inhabitator, vulgo *Miles* dictus, vna cum Nerite ſua, ex Muſeo Cel. Kundmanni (*i*). *Cancer marinus* minor petrefactus elegantiſſimus, ex India Orientali allatus & inter rariora Muſei huius Academici repoſitus, cui ſuperaddere lubet *Locuſtam marinam* prorſus ſingularem, duobus brachiis ſeu chelis, ipſo corpore duplo longioribus donatam, e Lithophylacio Celeber. Bayeri (*k*), quoniam nunquam antea ſimilem ſeſe vidiſſe deſcriptam confiteatur. Tandem ad ſtellas marinas, ſeu cruſtacea radiata perueniendum eſt, quorum reliquiarum ingens certe & innumera farrago ſuperſtes eſſet, ſiquidem *Entrochi*, *Aſteriae columnares* & affines, vt quidam volunt (*l*), ſtellarum forent articuli, & fragmenta, ſed cum haec (licet non prorſus nullam cum articulo

ticulo ſtellae Arboreae marinae, a Rumphio depictae (*m*) habeant ſimilitudinem) eadem, ſi non maiori probabilitate ad plantas ſubmarinas numerari poſſint; heic tantum indicare debeo, e lithophylacio Academiae veriſſimas proferri poſſe *ſtellae* maioris vulgaris quinque radiorum *articulos aciculasque*, ne quid dicam de exoticis documentis, integras huiusmodi ſtellas in lapidibus expreſſas exhibentibus (*n*). Num vero huc pertineat rariſſimum illud foſſile, *Caput Meduſae* dictum, quod primo inuenit & deſcripſit, pro ſtella marina arboreſcente habens Reu. Dom. Hiemer, deinde ſplendido ſuo Phyſicae Sacrae operi, hoc nomine inſerere curauit Celeb. Scheuchzerus (*o*), aliis diſquirendum relinquo. Nec poſſum non heic aliquam vermium inſectorumque facere mentionem, quoniam etiam ad animalia exſanguia, quorum foſſilium hiſtoriam vtcunque huc vsque tradidi, pertineant. Elegantia horum foſſilium ſpecimina, quamuis rariora vtpote *Araneas* (*p*), *Libellas*, *Papiliones*, *Scarabeos*, *Lumbricos* & alia huc pertinentia plura, e ſcriniis ſuis lapidariis depromunt curioſi (*q*). Nec huiusmodi diluuii monumentis Suethiam, imo Scaniam noſtram carere, ex illis exemplis cernere licet, quae B. M. Dn. von Bromell in Lithographia Suecana prodidit (*r*). Sed iam quoque ſanguinea adeamus animalia, & in his primo piſces colluſtremus. Horum vero ingentem numerum eidem fato conceſſiſſe, ac caetera turbido diluuiali ſuffocata, limo coenoque obruta, egregie demonſtratum iuit Celeb. Scheuchzerus peculiari tractatu (*s*). Authenticas interim & omni exceptione majores ſunto teſtes, ipſae *Ichthyitae*, quales frequentiſſime nigros & pyriticos fodinae Islebienſes, Botten-

dorfenses & Suhlenses (*t*), Lapides fissiles autem albos Oeningenses, Eichstadenses, Walschenses, & alios ferrugine quasi tinctos subministrant, inter quos merito prae coeteris commemorandus est Ichthyites ille elegantissimus simul & rarissimus, quem secum e Palaestina Libanoque monte attulit Reuerendissimus jam Scaniae & Blechingiae Episcopus & Acad. C. Procancell. D. D. BENZELIUS; insigne namque hoc cimelium piscis e volantium genere, exactissimum sceleton ferrugineum in lapide fissili albo exhibet; heic quoque merito considerandi veniunt fissiles Hardebergenses Scaniae, Acum marinam minimam haud obscure referentes. Qui omnes lapides ichthyomorphi, vel impressa, vel inhaerentia piscium simulacra, atque si cum sculpturis conferre liceat, vel diaglyptica, vel anaglyptica, ab ipso lapide distincta, aut saltem eorum sceletorum typos seruant, vt accuratissima proportione, capitis, caudae, ossium, spinarum, pinnarum, squamarum, aliarumque partium indicia & reliquias in iisdem contemplari liceat. Quin etiam nonnunquam solitarias eiusmodi piscium partes inueniamus; sic exempli gratia, itidem lapidi corneo agri huius suburbani impressam squamam piscis, Museum huius Academiae naturale subministrare potest. Porro belluarum marinarum, seu piscium grandiorum satis multas reliquias & immania ossa, in regionibus ab oceano remotissimis prostant effossa (*u*), huc pertinent *Ichthyospondyla* (*v*), seu piscium vertebrae, materiae & magnitudinis variae, in Latomiis & locis mediterraneis, haud raro obuia. Inprimis vero heic considerandi veniunt frequentissimi & per totum terrarum fere orbem dispersi & disseminati piscium dentes fossiles,

quos

quos etiam in ipſis illis fodinis, vbi iam dicta piſcium oſſa eruuntur, frequentes obſeruauit ingenioſus & diligens Lithophylacii Britannici praefectus Luidius (*w*). Quo autore *ichthyodontes* hos ſeu *Odontopetras*, non absque ratione, in *Cuſpidatos* ſeu inciſorios & *Scutellatos* ſeu molares, diſtinguimus. Prioris claſſis ſunt, quos Lithographi quidam pro temporum antiquorum (*x*) *gloſſopetris* habent, ob qualemcunque linguae, inprimis picae auis, figuram, rectius profecto *Carcharodontes* dicendos, ob adcuratiſſimam ex omni parte conuenientiam cum ipſis canis carchariae ſimiliumque canini generis piſcium dentibus; illi vero, quos ſcutellatos diximus, iidem ſunt, tam qui apud Melitenſes, *L'Ochi di ſerpe*, oculi ſerpentum audiunt, quam qui ex India aduecti maiores, Batrachitae aut Bufonii ſalutantur, quibus omnibus, fabulis & ſuperſtitionibus dediti, non leue pretium ſtatuunt (*y*). Locum denique quendam ſuo iure heic obtineat *Hammites*, ſeu *Oolithus* (*z*), quem e teſtaceorum piſciumque ouulis congeſtum, & cum terra & limo commiſtum, poſteaque induratum, ex ipſis ouulis variisque aliis inſperſis marinis exuuiis, haud obſcure colligimus. Quod ſi mirum alicui videretur, tantam ouulorum multitudinem in vnum locum fuiſſe congeſtam, quae integris latomiis huius generis condendis ſufficerent; conſideret quaeſo, quanta iam laſciuientium & ſalacibus luſibus venereis indulgentium agmina piſcium in oceano hoc noſtro oberrent, & quam innumera eiaculent ouula reputet, atque haec adcuratius collata, cum piſcium ingenti in vaſto illo mari ſubdiluuiali numero, vt ſpero, omnem ſcrupulum expedient.

(*a*) Conf. § III. Differtationis, de Lap. Ceraun. Betulisque. (*b*) Conf. Differtat. de Lapidibus Iudaicis, Georg. Dan. Cofchwitzi, Halæ Magd. Ao. MDCCXXIV. habit. (*c*) Vide fig. 3. Tab. III. apud Ioh. Rayum, in tract. de Ortu, mutatione & interitu mundi. (*d*) Vide apud Luidium Lib. c. Capf. XVI. Claff. VI. I. I. Scheuchz. Meteor. & Oryctogr. Helvetiæ fig. 144. ad 147. (*e*) In tractatu: Naturalis difpofitio Echinodermatum. (*f*) v. Iac. à Melle, de Lapid. figur. agri Lubecenfis. (*g*) Rariffimum exemplum habeatur *Echinites fpatagus* cum digitis fuis inftructus, cuius mentionem facit Langius: de Origine Lap. figur. Helvetiæ Lib. I. Cap. X. p. 33. (*h*) v. Luidium L. c. Claff. VIII. I. I. Scheuchz. fpecim. Lithogr. Helvet. Curiofæ, fig. 36. & 87. Bruckmanni Thefaur. Subt. Duc. Brunfv. Tab. I. fig. 2. & plures alios, inprimis Ioh. D. Maioris Differt. Epiftolar. de Cancris & Serpent. petr. (*i*) Vide Eiusd. Rar. Nat. & Artis, Tab. IV. fig. 2. (*k*) Vide fuppl. Oryctogr. Noricæ Tab. III. fig. 6. (*l*) vid. Eduardi Luidii Ichnogr. Lith. Brit. pag. 45, & Epift. eiusdem IV. de Afteria & Belemnite, pag. 114, obuiam. (*m*) In Thefauro Imag. Tab. XVI. fig. c. (*n*) Vide fupplem. Oryctogr. Noricæ I. I. Bayeri Tab. III. fig. 4. & 5. (*o*) Tab. LVIII. fig. 98. (*p*) Vide Kundmanni Rariora Nat. & Artis Tab. XII. fig. 14. (*q*) vide Scheuchz. Phyf. Sac. Tab. LIII. fig. 23. 24. 25. Rev. D. D. Liebknecht. Haffiæ Subt. fpecim. Tab. V. fig. 2. conf. Lefferi Lithotheol. Lib. V. fect. IV. Cap. VII. (*r*) Spec. II. Sect. II. §§. I. II. III. Cap. I. Art. I. in Act. Lit. Suec. Anni MDCCXXIX. (*s*) Querelæ & vindiciæ pifcium, Tiguri MDCCVIII. (*t*) Vide Mylii Memorab. Saxon. Subter. P. I. p. 1. & feq. & P. II. Relat. X. p. 87. & feq. Scheuchz. Ph. Sacr. Tab. LIII. fig. 34. & Tab. LIV. fig. 35, 36, 37, 38. Addam pifcem in metallum mutatum, quem exhibet Liebknecht Tab. V. fig. 1. in Lib. cit. (*u*) Vide §. XIII. Differt. de Foffil. Dil. Mon. I. Guil. Bayeri, Altorfi MDCCXII.

MDCCXII. habit. (*v*) Conf. Edu. Luid. Lib. cit. Claſſ. XII. (*w*) Luid. Libr. cit. pag. 83. ipſam Ichthyodontum diuiſionem exhibet Tab. X. (*x*) Plinii Hiſtor. Natural. Lib. XXXV. Cap. X. Solini Polyhiſt. Cap. XL. (*y*) Vide Diſſert. de Ceraun. Betuliſque Lapidibus §. III. conf. Eduardi Luid. Lib. c. Claſſ. X. (z) vid. Specimen Phyſicum de Oolitho, in Bruckm. Theſ. ſubterr. Brunſv. pag. 127. & ſeq.

## §. VI.

Caetera monumenta diluuii, animalibus figuram & originem debentia, ſunt ipſorum terreſtrium λείψανα; quorum ſtragem atque interitum, licet inprimis commemoret Moſaica Cataclyſmi deſcriptio, rarius tamen, quam animalium marinorum occurrunt horum completa ſceleta, aut aliae partes, cum proculdubio poſtquam aquis fuerint ſuffocata, ſatis diu oceano diluuiali innataverint, vsque dum & putredine conſumpta, & violenta fluctuum agitatione dilacerata atque diſperſa, tandem cum particulis terreſtribus adeo confuſe, vti iam iacent, ſubſederint. Quo facto, ipſa adeo horum ſepulcra propalam edocent, quod ad miſeros prioris orbis incolas ſummo iure referenda ſint; cum haec oſſa & aliae haud obſcurae animalium reliquiae, vel in mediis rupibus, pyrotechnicis viribus rumpendis, immo, in abditiſſimis terrae latebris, nimirum ſubterraneis ac profundiſſimis puteis & cuniculis fodinarum, non absque ſtupore excidantur, vel quouis alio modo euiſcerata terra, e cauernis latibulisque ſuis in apricum veniant, vbi adeo perturbate & copioſe congeſta, atque cum exuviis marinis aliquando commiſta (*a*) iacuerunt, vt vel

exinde vehementiam priorem orbem deuastantis vndae possimus cognoscere, inprimis cum haec ossea animalium rudera fossilia non tantum optime cum veris suis analogis conueniant, siue eorundem proportionem, siue in singulis structuram & partes necessarias respicias, vtpote foramina, suturas, sinus, capita, acetabula, apophyses, epiphyses, cellulas medullares & quae sunt reliqua; sed & in examine chymico (*b*) saepius repetita industria instituto, eadem haec eiusmodi produnt phaenomena, quae & veram indolem animalem manifestant, & quaecunque de marga quadam in meatibus & canaliculis quibusdam subterraneis, vel casu, vel ludibundae naturae ope, sic effecta sibi ingeniose imaginantur, penitus, saltem quae nostra heic allata exempla concernant, eliminare possunt. Quod ad priscam illam gentem hominesque diluuio interemtos attinet, paucissimae in promptuariis curiosorum adhucdum adsunt horum quidem satis clarae & integrae reliquiae; interim non tamen omnino desunt. Delineauit Scheuchzerus (*c*) dimidium hominis sceleton e latomiis Oeningensibus dioecesеos Constantiensis erutum, tanto magis conspicuum rarumque, quod etiam molliores & carnosas partes exhibeat conseruatas & petrefactas; nec dubitandum est, quin quoque vera retulerint alii, qui aliis locis similia dudum eruta narrent (*d*). Ne heic operose prosequar varia minora fragmenta frequentius obuia, vtpote crania, dentes eosque vel solitarios, vel maxillis infixos, manuum pedumque ossicula, costas, & multa alia ita contusa, quassata & confricta, vt aegre ab aliorum animalium fossilibus reliquiis dignosci queant. Ex auibus adhuc rariora inueniri, ob supra indicatas rationes,

confi-

confitentur Oryctographi (*e*), nifi huc pertineant offa foffilia e monte Haffiaco, vulgo Vogels-Berg dicto (*f*), ex auium reliquiis nomen, vt volunt, fortito. Praeterea plumas lapidibus impreffas, nec non nidos & oua lapidea e terrae gremio effoffa perhibent fcriptores fide digniffimi (*g*). Offium vero quadrupedum foffilium longe vberior exiftit meffis, inprimis fi tam calcinata, quam lapidea confiderare volumus, quae fpecus inclyta fyluae Hercyniae, Baumanniana vulgo dicta (*h*), collis Canftadienfis Ducatus Würtenbergici (*i*), & plures alii loci, etiam Scanica tellus (licet rarius, quantum huc vsque innotuit) fuggerunt, interim tamen non contemnenda huiufce generis fpecimina quaedam, e Mufeo Academico noftro depromere licet. Qui carnofas animalium partes defiderant, ante oculos ponant manum fimiae maioris, alias *Bauian* dictae, quam delineatam curiofis communicauit Celeb. Kundmannus (*k*). Qui integra fceleta inuenta negant, conferant quae idem de ceruo foffili narret (*l*). Omnium vero maxima admiratione digna aeftimentur infignia illa & perfecta animalium exoticorum offa & fceleta foffilia, e locis a natali folo proprioque climate longe remotiffimis eruta. Huius generis eft magnum Elephantis fceleton prope pagum Tonnam Thüringiae e cauerna arenaria effoffum (*m*), & quidem fub non violata vel turbata ftratorum ferie, vt appareat hunc ibi non fuiffe fepultum, fed vno eodemque cafu cum ipfis ftratis repofitum. Aliis quoque Europeis locis deinceps huic fimillima detecta difcimus (*n*). Quod ad alias Elephantum reliquias foffiles attinet, pridem Theophrafto innotuit (*o*) ὁ ἐλέφας ὀρυκτὸς ποικίλος μέλανι, feu iuxta Plinium (*p*): *Ebur foffile*

*candido*

*candido & nigro colore*, noſtro vero aeuo hoc minus inter terrae rariora eſſe referendum, ex inde patet, quod plurimis locis & notabili frequentia obuiam veniat, quemadmodum iſti, qui de dentibus Elephantinis foſſilibus (*q*) ex inſtituto egerunt, teſtantur. Neque heic nulla prorſus mentio mihi facienda *Hippopotami marini*, vel Rosmari, cuius ſceleton prope Bononiam eſt inuentum (*r*). Sic non magis decet ſilentii peplo obuelare inſignia iſta bina crocodilorum ſceleta in Germania inuenta, quae Phyſicae ſuae ſacrae inſeruit Cl. Scheuchzerus (*s*), vbi etiam viperae ſceleton foſſile exhibet (*t*). Heic tandem monuiſſe operae pretium duxi, quod multae animalium reliquiae foſſiles inueniantur, quae, vel quod nimium in priſcis fluctibus ſint violata, vel ob non ſatis excultum Zootomiae atque adeo Oſteologiae brutorum ſtudium, incertum atque occultum eſt, ad quodnam animalium genus pertinuerint, vel num ne potius ad hactenus ignota animalia ſint referenda; huius commatis eſſe puto oſſa iſta ingentia ſubterranea, in ripis fluuiorum Siberiae obuia (*u*), ab indigenis *Mamotouakoſt* vel *Mammuta-Koſti*, ſeu oſſa animalis Manmuth, quod in ſuis cuniculis ſubterraneis degere, ſub dio vero expirare tradit vulgus eius loci, vt ſolet credulus & nugiuendulus, eruditi vero haec, vel ad בהמות, cuius deſcriptionem facit Iobus (*v*), vel ad Elephantinas exuuias, vel ad Hippopotamum marinum, vel denique ad *Manathi* aut aliam belluam marinam relata volunt (*w*). De *vnicornu foſſili* (*x*) reticere nequeo, illud eſſe hoc nomine admodum incertae & ſuſpectae fidei, atque perperam pro cuiusdam Monocerotis cornu vendi, cum non tantum quaeuis cornua foſſilia, ſed quaecunque oſſa ſubterranea

terranea hoc nomine insigniri soleant. Idem quoque censendum de plurimis adeo decantatis giganteis ossibus variis regionibus detectis atque erutis (y), quorum integra corpora, quantum ab illorum ita creditis fragmentis inferre licet, ipsum Colossum Rhodium magnitudine non tantum adaequarent, sed saepenumero longe superarent; lubens igitur calculum meum sententiae Celeb. Kundmanni (z) adiicio, qui omnia haec insolitae magnitudinis ossa pro animalium reliquiis, vna cum hominibus in diluuio extinctis & limo terraque obrutis habet.

(*a*) Vide Kundm. Rar. Nat & Art. sect. I. p. 42. (*b*) vide Exper. I. S. Carls Lap. Lyd. ad Ossium Docimasiam analytice demonstrandam. (*c*) in Phys. Sacra Tab. XLIX. nec non in peculiari Dissert. *Homo diluuii testis* inscripta. (*d*) Happelii Schatz-Kammer übernatürlicher und wunderbarer Geschichte pag. 579. Tenzelii Monatl. Unterr. de Ao. 1690. Mens. Febr. Helmontius in Tractatu de Lithiasi Cap. I. §. 12. (*e*) conf. Scheuchz. Phys. Sacr. pag. 511. Lesseri Lithoth. Lib. V. sect. IV. Cap. IV. (*f*) vide Mylii Mem. Saxon. Subt. Rel. V. p. 52. (*g*) Bütnerus in Rud. Dil. test. §. 128. pag. 218. I. W. Valvasor in libro: Ehre des Herzogthums Crain lib. IV. cap. II. (*h*) v. Behrens Hercynia curiosa. (*i*) vide Reiselii Epist. ad D. Spleissium. (*k*) Lib. c. Tab. III. n. 2. (*l*) Lib. cit. pag. 41, conf. Scheuchzeri Meteor. & Oryctogr. Helv. p. 333. (*m*) vid. Tenz. Monatl. Unterr. 1696. Mens. April. Bütn. Rud. Dil. test. §. 127. (*n*) Lesseri Lith. §. 352. pag. 516. (*o*) in libr. de lapidibus. (*p*) vide Hist. Nat. Lib. XXXVI. Cap. 18. (*q*) conf. Rhiem in Dissert. de Ebore foss. nec non Bartholinum, Wedelium, Bauschium &c. (*r*) Descripsit hoc Cl. Monti in Dissert. de *Monum. Dil. nuper in Agro Bonon. inuento.* (*s*) Tab. LII. conf. Kundm. Rar. N. & Artis sect. I. Art. IV, vbi quoque Lacertae fossilis mentionem

tionem facit, cuius figuram e Vind. & Quer. Pisc. Scheuchzeri commodatam vide in Bruckm. Thes. subt. Ducatus Btunsv. Tab. III. (*t*) Ph. S. Tab. LIII. fig. 21. (*u*) vide Generosiss. Virorum Basilii Tatischowi & Ioh. Sparvenfelts Epistol. de hisce ossib. subter. (*v*) Cap. XL. v. 10. (*w*) cons. Eruditiss. Dissert. Theod. Hasaei, de *Manmuth siue Maman.* (*x*) vide Dissert. Vpsaliensem Anno MDCCXXIX. de Vnicornu fossili & congeneribus, cons. Gabr. Rzaczynski Hist. Nat. curios. Regni Polon. Sect. I. §. IX. & eiusdem auctar. Punct. I. §. VIII. (*y*) vide Kundman. Rar. N. & A. Sect. I. Art. II. (*z*) Loco nuper cit. p. 29. & 30. cons. Solini Polyhist. c. XV.

## §. VII.

Haud minorem prioris orbis deuastationem manifestant frequentissimae simul atque euidentissimae, olim regni vegetabilis, iam vero mineralis propriae, vtpote profundissime sub terra sepultae, & in ipsis latomiis & fodinis, campisque arenosis, imo paludosis quibusdam regionibus obuiae *plantae* earumque partes, quae quidem pro diuersa natura materiae, in qua per tot secula latuerunt, vel metallares, vel lapideae; vel quasi tostae & vitriolico succo induratae, vel combustae & in carbones conuersae; vel denique a sua genuina indole parum immutatae, in conspectum nostrum veniunt. Vt de arboribus & lignis antediluuianis auspicer, nullus dubito, quin huc iure suo referantur non tantummodo arbores solitariae earumque frusta varia, sed totae etiam istae syluae, adhuc vera suppeditantes ligna magis minusue bituminosa, quas admodum profunde sub terra prostratas, & inprimis in eiusmodi locis, quos vernacula lingua Torfmosar dicimus, seu paludosis in regionibus,

vbi

vbi cespites bituminosae exciduntur, quas quoque nihil aliud esse, quam quandam farriginem rerum vegetabilium periti iudicant, detectas nouimus (*a*). Circa eiusmodi sepultas syluas obseruatione dignum est, quod narrant Physici fide dignissimi (*b*): Omnes nimirum arbores vehementi vi euulsas, situque ad occasum ab ortu quodammodo tendente, proiectas (*c*), vt vel inuiti confiteri necessum habeamus, vehementissimum quondam aestum has euulsisse & obruisse. Huc forte pertinet, quae fere inaudita narrat Cel. Teichmeyer (*d*) his verbis: *Circa confinia vrbis Hackenburg* beym Wester-Walde, *D. D. Vogelius, discipulus quondam meus, inuenit* ein Holtz-Bergwerck, *vbi lignum verum in stratis, haud secus ac metallorum venae reperitur*, es ist ein rechter Holtz-Klotz, hat seine Saalbänder *in quibus ligni cortices existunt, interim nec ramorum nec radicum reperiuntur vestigia, sed vbique lignum verum existit & reperitur*, und ist der Gang etliche 20. Klaffter ins Feld getrieben. Quemadmodum vero iam allata arborum lignorumque fossilium exempla, lignea sua indole gaudent, ita effodi quoque solent, quae vel putrefacta (*e*), vel calore quodam subterraneo tosta & combusta apparent; nec temere ab illorum sententia, qui strata Lithanthracum pro eiusmodi syluis in diluuio saxis humoque tectis, & ab exhalationibus ferreis sulphureisque, quae soluta & accensa in vicina Pyritae strata, eleuarunt, in carbones versis reputant, qui tandem resina e lignis exsudante, vel etiam bitumine & aliis humoribus mineralibus fuerunt impraegnati, quoniam non tantum pyritae glandulis, tanquam ipsius ignis subterranei fomite haud raro sint referti, sed etiam puluisculo flauo, instar ochrae cuiusdam, aut

vitrioli in aere fatiſcentis & ſolutae, ſed & lamellarum fibrarumque lignearum haud obſcura veſtigia exhibeant; ne de variis loquar foſſilibus, quibus haec fodinae carbonariae frequentiſſime ſunt perſtratae, quae forte haud inepte indicant, integras has ſtratorum ſeries olim maris fuiſſe ſedimenta. Pari modo inuenimus non ſolum in regionibus exoticis, ſed etiam in Suethia (*f*) immo in Scania, (quemadmodum ex collectione huic Academiae a me donata demonſtrare poſſum, cuius etiam ſpecimen eſt quod addita Tabula XVI. exhibet *Lithoxylon*,) vera olim ligna iam in metallicam, iam lapideam ſubſtantiam transmutata, ita tamen vt adhuc e cortice, alburno, ligno, medulla, nodis & tubulorum ligneorum ordinibus, nec non annuis accretionibus, reliquaque partium organicarum ſatis conſpicua textura, non tantum quod verae plantae, ſed & cuius arborei generis quondam fuerint, quisque niſi Lippus & Myops primo intuitu dicat. Ne iam multis recenſeam varia huc pertinentia, vti radices, ramulos, folia, fructus foſſiles, vel petrefactos, vel parum aut nihil a naturali ſpecie recedentes, quales in turfae fodinis non nunquam obuiam veniunt. Sic etiam longe diuerſiſſimae olim in ſuperficie telluris progenitae, iam vero intra eius abditiſſima viſcera conditae atque ſepultae, & quidem tanta copia in quibusdam locis congeſtae, vt integra fere ſtrata repleant; tum quoque, licet conſpicua adeo varietate dignoſcantur, tamen ſuis analogis hodiernis ſatis exacte reſpondentes, vt non ſatis laudandus Scheuchzerus ex ſibi notis plantis eiusmodi foſſilibus, integrum Herbarium antediluuianum contexere potuerit, & ordine, quo inprimis vſus eſt Botanicus excellentiſſimus & probatiſſimus

Tour-


T.XVI.

Tournefortius, exempla elegantissima in medium produxerit, & in suas classes summaque genera dispoſuerit. Et ſane cedro digniſſima mihi videntur verba adcuratiſſimi Bütneri (*g*), quibus veram horum Phytolithorum & Lithobibliorum originem, argumentis haud ficulneis adſtruit; Haec pro instituti noſtri ratione parum coarctata ſic ſeſe habent: Jch laſſe aber (inquit) zu jedes reinen aufrichtigen Urtheil: ob dieſe im Geſtein gefundene Dinge nicht warhaftige vegetabilia geweſen, ſo nach einer allgemeinen Fluth mit dem Schlamm verſteinert worden; denn erſtlich diſtinguiren ſie ſich ſelbſt wohl von Geſtein, da ſich gantz eine andere Subſtanz als bey jenem zeiget. ꝛ ꝛ ꝛ So laſſen ſich auch die vegetabilia vom Geſtein ablöſen, wodurch ſie nicht allein ihre beſondere Natur, und daß ſie vormahls auch geſchieden geweſen, einiger maſſen zeigen, ſondern auch, daß man ſie mit Unrecht unter die dendritas rechnet, da jene ihr volles Ausmaaß haben, dieſe nemlich dendritae ins kleine nach Mahler-Art nur vorgeſtellet und von dem Geſtein nicht ohne ihren ruin zu bringen ſind, oder vor ſich ſelbſt beſtehen können. Sonderlich befindet ſich an denen im Geſtein ſitzenden vegetabilibus noch eine flexibilität. ꝛ ꝛ ꝛ So zeiget auch die textura und ſtructura aggregativa vegetabilis nemlich, daß ſie wie Kräuter gewachſen ſind, ihre Theile, der ſich verſtärkenden Stengel, die auseinander gehende Zweige und Blätter, die Blätter ſelbſt, die ihre Nerven und richtigſte Eintheilung haben. ꝛ ꝛ ꝛ Zu dieſem kömmt noch bey einem in allem wohl proportionirten Gewächſe die Zärtlichkeit, welche bey dem Geſtein darinn das Kraut ſitzet im Gegentheil nicht zu finden iſt, das vielmehr ſandiger iſt, ꝛ ꝛ ꝛ wie auch, daß die Blätter nach ihren bey-

den Seiten sich distinguiren ꝛc. His enumeratis phaenomenis superaddam denique, inter plantas in Europa erutas occurrere interdum eiusmodi, quae remotioris climatis, ipsiusque Indiae propriae sunt; cuius exemplum exhibet vegetabile in scissili Manebachensi impressum, & cum fructu arboris Indicae, *Abovai* dictae, apprime conueniens, a Mylio communicatum (*h*), nec non icon herbae Chinensis *Arbor tristis* dictae, in lapide exaratum, cuius mentionem facit Illustr. Colonna (*i*), quae quasi nouis argumentis demonstrare videntur, totum terrarum orbem tunc latuisse sub undis, quando haec adeo peregrina huc fuerint delata. Tandem orbis infandam sub vniuersali isto cataclysmo factam permutationem & translationem rerum, ostendunt & euincunt stupenda congeries plantarum submarinarum, quas in continenti, locisque permultis, iisque mediterraneis & procul a mari dissitis, supraque superficiem eiusdem quam maxime editis, ita cumulatas & cum caeteris marinis commistas animaduertimus, vt abditissimum ipsius oceani fundum perlustrare quoddammodo videamur, fossilia haec inuestigantes. Pertinent huc *Lapides Corallini*, plantis submarinis atque corallini generis originem figuramque speciosam debentes, quorum ingentem copiam non tantum regiones variae exterae, verum patria etiam, inprimis autem Scania nostra & insula maris Balthici celeberrima, Gothlandia, offerunt. Hos cum egregie descripserint Lithographi curiosissimi (*k*), heic eorum descriptioni diu immorari lubens supersedeo, praesertim cum post Nobil. von Bromell (*l*) haec acta denuo agere vix foret operae praetium, quare ad hunc sagacissimum rerum rariorum indagatorem potius L. B. remitto. Tantum igitur heic paucissimis verbis commemorabo

rabo summa genera eorum, quae apud nos maxime obuia: Habemus nimirum *corallia* varia, inter quae illa equidem elegantissima merito, quae ex Seelandiae loco *Stefns*, afferuntur, censenda sunt; His vero longe frequentiores sunt *madreporae*, quarum certe diuersitas satis insignis est, sed inprimis frequens & memorabilis illa species, quae *abrotonoides* dicitur, tuberculis sursum vergentibus conspicua, non raro iulorum arborum quarundam figuram vtcunque referens. *Madreporae loricatae* exemplum adnexa Tab. XVII. exhibet. Porro varia specimina *Corallinae Muscique marini* occurrunt; item diuersa *Lithophyta*, inter quae considerationem praeprimis meretur *Lithophyton*, quod laudatissimus praenominatus Botanicus dixit *reticulatum purpurascens maximum*, Clusio vero *Frutex marinus elegantissimus* audit in lapicidina calcaria Egnabergensi Scaniae inuentum; quod iam huius Academiae promptuarium rerum naturalium rariorum eo magis exornat, quod vix credam huiusmodi fossilis huc vsque a Lithologo quodam factam esse mentionem. Praeterea sese curiosis offerunt *Alcyonia stupposa, crateriformia, pyxidata, bifurcata* & alia, item *Columelli, Ceratitae, Fungitae, Porpitae, Faui, Punctulariae, Astroitae, Milleporae, Catenulariae, Tubulariae, Reteporae, Stellariae, Escharae marinae* & multae aliae.

(*a*) vid. Ans. Boetium de Boot, de Gem. & Lap. II. Cap. 158. Mart. Schoockium in Tract. de Turfis Cap. XII. Arch. Hiernes 2 Floch 14 Fråga pag. 334-337. Lesseri Lithoth. §. 339. Bütneri Rud. Dil. testes §. 119. (*b*) vid. Conring. de Antiquo statu Helmst. p. 36. 37. 40. conf. Testimon. Doctoris Ioh. Piquardi apud Nob. Archiat. Hierne l. c. p. 335. (*c*) vide eius Elementa Phil. Naturalis Parte 2. Cap. IV. p. 184. (*d*) vid. Zach. Pilling. de Bitum. & ligno foss. Cap.

Cap VII. (e) in Act. Lit. Vpsal. MDCCXXVII. Magni von Bromell Lithograph. Svec. Specim. II. Art. 3. (f) confer. quoque Meteor. & Oryctogr. Helu. pag. 204. &c. Lesseri Lithotheol. L. V. sect. V. Cap. 2. (g) Rud. Dil. test. §. 121. (h) in Memorab. Saxon. subt. p. 19. (i) Libro *Histoire Naturelle de L'Vnivers*, Tom. II. p. 306. & le Journal des Sçavans de Sept. 1724. (k) vt caeteros haec fossilia describentes taceam citabo tantum *Bütneri Corallograph. Subterraneam.* (l) in Actis Lit. Vpsal. MDCCXXVII. vid. Lith. eius Suec. Specim. II. Cap. II. Art. I. §. 1. 2. 3.

## §. VIII.

Restat denique vt de quibusdam fossilibus manifestum verumque organismum quidem prodentibus, sed quorum tamen adhuc analoga certa & indubitata in historia naturali desiderantur, non nihil dicam. Horum mentio heic eo opportunius fiat, quod haud contemnendae aut leues circumstantiae suadeant, haec pleraque ad plantas marinas pertinere, quae in maxima illa inundatione per terram fuere stratae, & in sempiternam memoriam communis ruinae ibidem relictae. Sunt autem heic inprimis considerandi *Encrini seu Lilia Lapidea*, *Entrochi* vel *Trochitae*, illis affines *Asteriae columnares*, nec non *Lentes Lapideae*; forte etiam non absque re huc retulerimus *Belemnitas* & *Alueolos*. Quod ad Encrinos attinet, abunde clare & erudite demonstrauit Laudatissimus Harenbergius (a) Lilia haec lapidea non, vt quidam volunt, fuisse olim stellas marinas morituras radios suos contrahentes, sed veras plantas submarinas, vtpote radice, petiolo & imminenti lilio constantes, nec non ita flexos vt cernere liceat, hos olim molliores fuisse, cum essent in loco natiuo, vbi quoque ostendit stellam arborescen-



Tab. XVII

rescentem Hiemer, cuius supra feci mentionem, nihil aliud esse, quam Encrinorum reliquias, & quoniam plantae hae fossiles, ex meris entrochis constant, vtique sequitur etiam hos esse regni vegetabilis spolia (*b*). De Lentibus lapideis & Belemnitis ex instituto disputat Cel. & ingeniosissimus Bourguetius (*c*), hos dentes belluarum marinarum, illas autem cornuum Ammonis opercula faciens. Accuratius vero examinantem lentes has lapideas, easque cum fungis lapideis fossilibus conferentem, spero facile inuenturum, summo iure fungitas minimos esse vocandas, vtpote a caeteris fungitis tantummodo magnitudine discrepantes (*d*). De Belemnitis multa essent dicenda, si omnes de eiusdem origine opiniones sub examen reuocarem. Vt meam qualemcunque sententiam de illis aperiam, credo fuisse plantas marinas; quod suadent cum structura interna, vtpote a canaliculo quodam centrali ad peripheriam tendentes radii, qui parum certe a multarum aliarum corallini generis structura abludunt (*e*); tum externa figura, vbi in summitate apicem, quasi gemmam candidam & oblongam praefert, cum illis conferendam, vnde flores suos protrudere plantas corallinas tantum sub vndis conspicuos, obseruauit Illustriss. & Summus Physicus Comes Marsiglius (*f*). In parte inferiori notabilis est cauitas quaedam vt plurimum coniformis, quam impleuit alueolus, qui baseos vel potius petioli radicisque officio functus quondam verisimile videtur. Praeterea ipsa huius plantae substantia non dissimilis est quarundam plantarum submarinarum corneae; sed inprimis simillima cuidam Lithophyto, quod ad littus Lomense ante aliquot annos inueni, cuius color Belemniten imitatur &

ad pelluciditatem ſuccini paulo obſcurioris accedit. Hiſce addam, foſſilia haec molliora quondam in proprio ſolo aut ſalo exſtitiſſe, cum admodum crebro non tantum detriti & mutilati, ſed & compreſſi inueniantur (*g*), vnde inſuper facili negotio concludere licet, belemnitas non ibi creuiſſe, vbi iam in terra occurunt, ſed aliunde vna cum aliis marinis ſpoliis ibidem quondam eſſe delatos & in concuſſione & perturbatione orbis illa ingenti & communi, quaqua-verſum intumeſcente & aeſtuante oceano, cum aliis perquam multis & variis rebus, violenter iactatos & huc illucque diſſeminatos.

(*a*) In Specimine Lithologico quod inſcribitur; *Encrinus ſeu Lilium Lapideum.* (*b*) Digna eſt quae heic inſpiciatur planta marina ab illuſtriſſ. Comite Marſiglio delineata in Hiſt. Phyſ. de la Mer Tab. XXXII. fig 155 & 156. (*c*) vid. Lettres Philoſophiques ſur la formation de Sels & Cryſteaux, Lettre Premiere. (*e*) Acta Litter. Sueth. Anni MDCCXXVIII. p. 446 & 447. (*d*) Contemplatione digna eſt ſtructura plantarum quarundam ſubmarinarum in opere egregio Comitis Marſiglii: *Hiſtoire Phyſique de la Mer;* inprimis Tab. XXIX. fig. 134. (*f*) in Libro iam citato, Partie IV. pag. 168. vsque ad finem, vide quoque Tab. XXXVIII. XXXIX. XL. & in hac praecipue No. 3. (*g*) Baieri Oryctograph. Norica pag. 36.



EXPLI-

# EXPLICATIO TABVLARVM HVC PERTINENTIVM.

## TAB. XV.

Tulipae testaceae fossilis, seu Balani marini maioris fossilis, ex monte quodam prope Vddeuallam in Praefectura Bahusiensi, nec non testarum separatarum, e quibus componitur, ibidem reperiundarum delineationem exhibet.

Fig. A. B. C. D. E. F. *Testarum singularum, è quibus construitur Balani calyx, facies exterior.*

Fig. a. b. c. d. e. f. *Earundem facies interior.*

Fig. G. *Ipse ex hisce testis constans Balanus, seu potius, eiusdem Calix.*

— 1. 2. 3. 4. 5. 6. *Testae eaedem singulatim iam antea repraesentatae; heic vero coadunatae, ceu totidem petala Tulipam hanc testaceam constituentia.*

## TAB. XVI.

Lithoxilon seu Lignum petrefactum non inelegans, in viciniae huius loco paludoso, ad pagum Walkierra inuentum, repraesentat.

## TAB. XVII.

Madreporam fossilem Loricatam siue squamatim punctatam, e Latomiis Fersianis ad villam *Bieroeds Ladugård* erutam, ob oculos ponit.



# INDEX RERVM.



Dendri-







Petre-

ERRATA.



# ERRATA.

| | | | |
|---|---|---|---|
| pag. 21 | lin. 6 | leg. | oſtrea. |
| — 23 | - 24 | – | teſtas. |
| — 41 | - 13 | – | Hypogaeo. |
| — 54 | - 10 | – | mundi. |
| — 61 | - 28 | – | X duplex. |
| — 74 | - 22 | – | illa. |
| — 75 | - 26 | – | apud. |
| — 77 | - 6 | – | diiudicauerint. |
| — 86 | - pen. | – | albeſcente. |
| — 93 | - 8 | – | alios. |
| — 94 | - 10 | – | hos noſtros. |
| — — | - pen. | – | repertos. |
| — 97 | - ult. | – | eorundem. |
| — 108 | - 12 | – | eiusdem. |
| — — | - 23 | – | ferruginco. |
| — 109 | - 3 | – | elegantioribus. |
| — 110 | - 5 | – | vulgari. |
| — 115 | - 9 | – | tantam. |
| — 119 | - 7 | – | ſolebant. |
| — — | - 22 | – | commemorat idem. |
| — 122 | - 20 | – | dubitamus. |
| — 148 | - 9 | – | barbarorum. |
| — 150 | - 4 | – | huius. |
| — 156 | - 7 | – | Sicilicibus. |
| — 162 | - 16 | – | alius. |
| — 163 | - 29 | – | effectus. |
| pag. 165 | lin 23 | leg | poſt congruas: liquet. |
| — 174 | - 18 | – | omnes. |
| — 182 | - 19 | – | formidamina. |
| — 197 | - 12 | – | Heic. |
| — 211 | - 13 | – | inſtar. |
| — 212 | - 8 | – | Tertiae. |
| — — | - ult. | – | Germanice. |
| — 242 | - 2 | – | eſſe. |
| — — | - 6 | – | confluiſſe. |
| — — | - 12 | – | Scanica. |
| — — | - 24 | – | propiori. |
| — 243 | - 4 | – | miniſtris. |
| — — | - 17 | – | nuncupetur. |
| — 253 | - 2 | – | metropolit. |
| — — | - 3 | – | totamque. |
| — 271 | - ult. | – | Scond. |
| — 276 | - 9 | – | illas. |
| — 281 | - 2 | – | malmogienſi. |
| — 285 | - 14 | – | prouenire. |
| — — | - 21 | – | irritum. |
| — 287 | - 2 | – | ſubiacentem. |
| — 289 | - 13 | – | animaduertit. |
| — 293 | - ult. | – | exceptione. |
| — 296 | - 20 | – | marinorum. |
| — — | - 23 | – | miſtionis. |
| — 301 | - 28 | – | mutilata. |
| — 310 | - 29 | – | authenticae. |

Bericht

# Bericht an den Buchbinder.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Tabula | I. | pag. | 31 |
| —— | II. | — | 73 |
| —— | III. | — | 107 |
| —— | IV. | — | 112 |
| —— | VI. | — | 156 |
| —— | VII. | — | 182 |
| —— | IX. X. XI. | — | 204 |
| —— | XIII. | — | 224 |
| —— | XIV. | — | 251 |
| —— | XV. | — | 305 |
| —— | XVI. | — | 321 |
| —— | XVII. | — | 324 |

---

Ex Officina Hartmanniana.

